Jahresbericht

über das

Wilhelm-Ernstische Gymnasium

zu Weimar

von Ostern 1864 bis Ostern 1865

womit

zu dem am 7. April Nachmittags 2 Uhr stattfindenden

Redeactus der Abiturienten

ehrerbietigst einladet

der Director Dr. Rassow.

Voran steht eine Abhandlung

des

Herrn Professor Dr. Hugo Weber

de Hesychii ad Eulogium epistula.

Weimar

Druck der Hof-Buchdruckerei

1865.

Ἡσύχιος γραμματικὸς Ἀλεξανδρεὺς Εὐλογίῳ τῷ ἑταίρῳ χαίρειν.

Πολλοὶ μὲν καὶ ἄλλοι τῶν παλαιῶν τὰς κατὰ στοιχεῖον συντεθείκασι λέξεις, ὦ πάντων ἐμοὶ προσφιλέστατε Εὐλόγιε· ἀλλ' οἱ μὲν τὰς Ὁμηρικὰς μόνας, ὡς Ἀππίων καὶ Ἀπολλώνιος ὁ τοῦ Ἀρχιβίου· οἱ δὲ τὰς κωμικὰς ἰδίᾳ καὶ τὰς τραγικάς, ὡς Θέων καὶ Δίδυμος καὶ ἕτεροι τοιοῦτοι· ὁμοῦ δὲ πάσας τούτων οὐδὲ εἷς. Διογενιανὸς δέ τις μετὰ τούτους γεγονώς, ἀνὴρ σπουδαῖος καὶ φιλόκαλος, τά τε προειρημένα βιβλία καὶ πάσας τὰς σποράδην παρὰ πᾶσι κειμένας λέξεις συναγαγών, ὁμοῦ πάσας καθ' ἕκαστον στοιχεῖον συντέθεικε· λέγω δὴ τάς τε Ὁμηρικὰς καὶ κωμικὰς καὶ τραγικάς, τάς τε παρὰ τοῖς λυρικοῖς καὶ παρὰ τοῖς ῥήτορσι κειμένας· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ (τὰς) παρὰ τοῖς ἰατροῖς τάς τε παρὰ τοῖς ἱστοριογράφοις. συλλήβδην δὲ ὁμοῦ οὐδεμίαν λέξιν ἑκουσίως παρέλιπε, οὔτε τῶν παλαιῶν, οὔτε τῶν ἐπ' ἐκείνου γεγενημένων. προέθηκε δὲ κατ' ἀρχὴν ἑκάστης λέξεως τριῶν καὶ τεσσάρων στοιχείων τάξιν, ἵν' οὕτως εὐμαρεστέραν ἔχοι τὴν εὕρεσιν ἧς ἐπιζητεῖ τάξεως ὁ τοῖς βιβλίοις ἐντυγχάνειν προαιρούμενος. καὶ πρὸς τούτοις, ὅσας οἷός τε ἦν παροιμίας εὑρεῖν, οὐδὲ ταύτας παρέλιπεν, ἐπιγράψας τὰ βιβλία Περιεργοπένητας· καὶ ταύτῃ χρησάμενος τῇ διανοίᾳ· ἡγεῖτο γάρ, οἶμαι, μὴ μόνοις πλουσίοις, ἀλλὰ καὶ τοῖς πένησι τῶν ἀνθρώπων χρησιμεύσειν τε καὶ ἀντὶ διδασκάλων ἀρκέσειν αὐτά, εἰ μόνον περιεργασάμενοι πανταχόθεν ἀνευρεῖν ταῦτα δυνηθεῖεν καὶ ἐγκρατεῖς αὐτῶν γενέσθαι.

Ἐπαινῶ μὲν ἔγωγε τὸν ἄνδρα καὶ τῆς φιλοκαλίας καὶ τῆς σπουδῆς, ὅτι χρησιμωτάτην πραγματείαν καὶ τοῖς σπουδαίοις τῶν φιλολόγων ὠφελιμωτάτην χορηγίαν πρὸς ἅπασαν παιδείαν προείλετο παρέχειν. ἐβουλόμην δὲ αὐτὸν μήτε τὰς πλείους τῶν παροιμιῶν ψιλῶς καὶ ἄνευ τῶν

---

3. [*Hemsterhusius κατὰ στοιχεῖον συντεθείκασι τὰς λέξεις*] 4. [*Musurus Ἀπίων*] 6. [*Albertus post τούτων comma posuit*] 7. [*Hemsterhusius καὶ τὰς σποράδην παρ' ἄλλοις κειμένας λέξεις omisso πάσας*] 10. *καὶ παρὰ C(odex), τὰς inseruit Musurus* 10. [*Hemsterhusius pro ὁμοῦ legi voluit ὁ μὲν i. e. Diogenianus, probavit Ruhnkenius*] 11. *ἑκουσίως scripsi, ὥστε C 'Schowius neglexit, non Musuri manu, sed alius hominis antiquioris illud ἡμᾶς εἰδέναι in margine adscriptum esse' Rankius in add. p. 143* [*Reiskius ὥς γε ἡμᾶς εἰδέναι, Rankio ὥστε aut delendum videbatur aut scribendum ὡς εἰπεῖν et ὥστε pro compendio horum vocabulorum habendum esse; hoc tamen postea abiecit p. 143. M. Schmidtius ὥστε deleri voluit*] 12. [*Rankius τριῶν ἢ coniecit, quem secutus est M. Schmidtius*] 13. [*Hemsterhusius pro τάξεως tentavit λέξεως*] 14. [*Hemsterhusius ἐπιγράψας δὲ τά βιβλία Περιεργοπένητας καὶ ταύτῃ (vel τοιαύτῃ) χρησάμενος, οἶμαι, τῇ διανοίᾳ ἡγεῖτο μὴ aut ἐπέγραψε δὲ cett., ut supra*] 15. [*Rankius τοῖς πλουσίοις*] 18. [*Musurus ἐπαινῶ μὲν οὖν ἔγωγε*]

ὑποθέσεων τεθεικέναι, μήτε τὰς ἐζητημένας τῶν λέξεων οὐκ ἐχούσας τά τε τῶν κεχρημένων
ὀνόματα καὶ τὰς τῶν βιβλίων ἐπιγραφὰς ἔνθα φέρονται, τάς τε πολυσήμους αὐτῶν παραδραμεῖν
καὶ ἀσαφεῖς παραλιπεῖν· δέον δὲ καὶ ἐν ταύταις ἑκάστης διαφόρου διανοίας τὴν παράστασιν
ἀπὸ τῆς τῶν χρησαμένων μνήμης παρασχεῖν, ἅτινα σύμπαντα καὶ τῆς παρ' ἡμῶν ἐπιμελείας
5 δεηθέντα κατὰ δύναμιν τετύχηκε πάσης, ἐν δευτέρῳ κειμένης τῆς τῶν φιλεπιτιμητῶν μέμψεως.

Οὐ γὰρ ὀκνήσω μετὰ παρρησίας εἰπεῖν, ὅτι τῶν Ἀριστάρχου καὶ Ἀππίωνος καὶ Ἡλιοδώρου
λέξεων εὐπορήσας, καὶ τὰ βιβλία προθεὶς Διογενιανοῦ, ὃ πρῶτον καὶ μέγιστον ὑπάρχει πλεονέκτημα
δή, αὐτὸς ἰδίᾳ χειρὶ γράφων ἐγὼ μετὰ πάσης ὀρθότητος καὶ ἀκριβεστάτης γραφῆς, κατὰ τὸν γραμ-
ματικὸν Ἡρωδιανόν, λέξιν μὲν οὐδεμίαν παρέλιπον κειμένην ἐν αὐτοῖς, ἀλλὰ καὶ πλείστας οὐχ
10 εὑρὼν προστέθεικα. ἐκείνην δὲ γραφὴν ἠξίωσα, ἧς εὕρισκον καὶ τὴν διάνοιαν τέλος περιέχουσαν
καὶ τὴν φράσιν μετὰ τοῦ δοκίμου σαφῆ. ταῖς παροιμίαις ἀποδέδωκα τὰς ὑποθέσεις· καὶ τῶν
πλειόνων λέξεων καὶ σπανίως εἰρημένων οὐ μόνον αὐτῶν τῶν χρησαμένων τὰ ὀνόματα προσγέγραφα,
ἀλλὰ καὶ τὰς ἐπιγραφάς, πάντων μὲν ἀπὸ τῶν ἀντιγράφων προστιθείς, οὐδαμοῦ δὲ πονεῖν παρ-
αιτησάμενος, ὡς ἂν μὴ καὶ αὐτὸς μέμψιν ὀφλήσαιμι δικαίως τινά, καὶ οἷς ἐγκαλῶ Διογενιανῷ
15 ἐμπεπτωκὼς φανείην. Καὶ πληρώσας τὴν πραγματείαν, ὅσον εἰς ἀνθρωπίνην ἐλήλυθε κρίσιν, ἐντελῆ
γεγενημένην, εἰ μή πού τις ἢ σαφὴς οὖσα λέξις, ἢ οὐκ ἀναγκαία παραλέλειπται, ἀπέστειλα πρὸς
τὴν σὴν ἀμετάλλακτον φιλίαν, πεπεισμένος μὲν εἶναί τι κτῆμα, μέγα δὲ τὴν σὴν (φιλίαν) καὶ
μειζόνων ἀξίαν ὑπάρχουσαν. εὔχομαι δὲ τῷ θεῷ σωζόμενόν σε καὶ ὑγιαίνοντα χρήσασθαι τοῖς
βιβλίοις.

---

1. [*Hemsterhusius coni.* τὰς ἐξηγήσεις *pro* ἐζητημένας, *Rankius fortasse legendum censet* τάς τε ζητουμένας] 2. [*Musurus* μὴ παραδραμεῖν] 3. *ita post* παραλιπεῖν *recte interpunxit Welckerus: 'nach* παραλιπεῖν *musz nur semikolon stehen' scripta min. II 546.*] 7. *'Inspecto codice, non* προςθεὶς, *sed* προθεὶς *ibi repperit frater meus' Rankius in add. p. 144.* [*Musurus* προςθεὶς, *quem secutus est M. Schmidtius, Rankius hanc lectionem primo receptam postea ipse improbavit l. l.*] 8. πλεονέκτημα δή, αὐτός *scripsi,* πλεονέκτημα δ' αὐτὸς *C* [*Musurus* πλεονέκτημα ταῦτα δ' αὐτὸς *et Aldina sine distinctione post* πλεονέκτημα, *Schrewelius punctum posuit, Albertus comma. Rankius: 'fortasse excidit* πάντα, *nisi forte cum signo commatis* δ' *mutatum est', Welckerus aut* αὐτός δ' *scribendum aut post* ὑπάρχει *distinguendum esse commate suspicatus est,* πλεονέκτημα *vero ad sequentia trahendum esse = zum besonderen vorzug, obenein l. c. II 546. M. Schmidtius: 'possis* πλεονέκτημα, τέσσαρα ταῦτα'] 9. πλείστας *Fabricius bibl. gr. IV XXXV § 5* πλεῖστα *C* 10. [*Rankius* γραφῆς, *M. Schmidtius: 'forte l.* γράφειν'] 11. [*Musurus* ταῖς τε] 12. [*Kusterus* καὶ ταῖς πλείοσι τῶν λέξεων καὶ σπανίως εἰρημέναις *coniecit. Hemsterhusius* παλαιῶν *pro* πλειόνων] 13. [*Albertus aut* τὰς ἐπὶ πάντων (*sc.* βιβλίων) ἀεὶ τῶν ἀντιγράφων μὲν προστιθεὶς *aut* τὰς ἐπιγραφάς, πάντα μὲν ἀπὸ *voluit.*] 14. αὐτός *Faber et Hemsterhusius scripserunt,* αὐτῶν *C* 15. ἐμπεπτωκώς *scripsi,* πεπτωκὼς *C* [*Kusterus* ἐν τούτοις αὐτὸς πεπταικώς, *Hemsterhusius* περιπεπτωκὼς] 15. [*Scaliger coni.* εἰς ὅσον ἀνθρωπίνη ἐλήλυθε κρίσις] 15. ἐντελῆ *scripsi,* τέλος *C* [*Faber* τετελεσιουργημένην, *Hemsterhusius* τελείαν, *Rankius et M. Schmidtius nihil mutaverunt*] 17. ἀμετάλλακτον *scripsi,* ἀναμείλικτον *C* [*Musurus* ἀναμίλλητον, *quod Rankius et M. Schmidtius probarunt, Florentina et Hagenoensis* ἀναμίλλικτον *'unde'? Rankius*] 17. πεπεισμένος μὲν εἶναί τι κτῆμα, μέγα (*sic dudum Scaliger coniecit*) δὲ τὴν σὴν (φιλίαν) *scripsi,* πεπεισμένος μὲν εἶναι τὸ κτῆμα μετὰ δὲ τὴν σὴν *C* [*Valckenarius* τὸ κτ. μέγα, τὴν δὲ σήν, [*Verweius* τοῦ κτήματος τὴν σὴν φιλίαν καὶ μ. ἀ. ὑπ. εὐχόμενος δέ, *Hemsterhusius* τὸ κτῆμα μέγα, τὴν δὲ σὴν φιλίαν καὶ μειζ. ἀ. ὑπ. *cui assensus est Rankius, M. Schmidtius 'sufficiet:* πεπ. μέγα μὲν εἶναι τὸ κτῆμα, μετὰ δὲ τὴν σήν']

Lexicon Hesychianum, cuius unum ut videtur exemplar, quod quinto decimo saeculo scriptum est, beneficio aliquo fortunae asservatum nunc extat Venetiis in bibliotheca Marciana, primus edidit Aldus Manutius a. 1514. Id ipsum exemplar cum Joannes Jacobus Bardellonus nobilis Mantuanus, qui possidebat, liberalissime Mantua Venetias Aldo Manutio qui publicaret transmisisset, Marcus Musurus typothetae in usum praeparavit, cuius viri opera quam multiplex fuerit e Schowii verbis a Mauricio Schmidtio (v. quaest. Hesych. p. XXVII — XXIX) excerptis subtilius cognoscitur. Duae primam exceperunt editiones una Juntina a. 1520, Hagenoensis altera a. 1521, quae totae fere ad Aldinam repetitae sunt typis. Altera editio habetur non numero illa quidem, sed dote sua ea quae ab Alberto incohata post eo demortuo a Ruhnkenio confecta est (LB. 1746—1766), qua recepta sunt ea quoque quae continebat Hackiana (LB. 1668 cf. M. Schmidt. l. c. p. XXX sq. XXXVIII).

His nuperrime accessit editio Jenensis (1858—1864) M. Schmidtii, qui opus, etsi alii nisi sociis adscitis et adiutoribus id non perfecturi esse sibi videbantur, tanta industria tractavit, ut solus intra sex annos absolverit, quo communi virorum doctorum utilitati optime servitum est et diuturno desiderio satisfactum. Is enim, ut de ceteris huius editionis virtutibus nihil praedicem, cum priores editiones codicis scriptura prorsus non distincta Aldinae dumtaxat lectiones propagarent, suam ad codicis Marciani fidem primus accurate applicavit. Quem quamquam ipsi ut denuo conferret non contigit, tamen ut eo instrumento sine incommodo careret factum est Nicolai Schowii supplementis ad Hesychii editionem Albertinam (Lips. 1792) adiectis, qui in codicis scriptura cum illa comparanda negotium suum satis molestum ac difficile tanta cum fide egit, ut J. Bekkerus cum edendi ut videtur Hesychii causa codicem conferre instituisset, in ea lexici exigua particula, quam contulit, levissimas tantum adnotaret discrepantias a Schowio neglectas (cf. M. Schmidt. l. c. p. XL).

Hesychiani lexici cum in omni antiquarum litterarum studio usus est frequentissimus, tum auctoritas admodum aucta est etymologicis studiis, quae cum ad hanc fere aetatem incondita fuerint, nunc ad aliquam artem redigi coepta sunt. Continet enim illud largam vocabulorum copiam vel antiquitate vel suis formis insignium et quae maximopere apta sint aut ad verborum

radices penitus abstrusas investigandas aut ad cognitas latius persequendas. Quamquam saepius nuper viri etymologicae studiosi celerius, quam utile fuit huius scientiae dignitati, vocabula nimia ingenii cupiditate ducti in usum suum ab Hesychio arripuerunt, quae cum antiquitatis formaeque specie quadam animos caperent, e mera scripturae pravitate tamen nata erant. Sed huius lexici quae virtutes sint et quae inde depromenda sint ad nostra studia, si recte uti eo velimus, haec cum maxime ex origine et ex fatis, quae habuit, intelligi licebit.

Primus vero hanc historiam criticam instituit Car. Ferd. Rankius commentatione de lexici Hesychiani vera origine et genuina forma (Lips. et Quedlinb. 1831), qui cum ea quae superiore quidem tempore de lexico Hesychiano comparata erant a viris doctis aut ad genuinam eius formam aut ad certa glossarum genera aut de ipso scriptore (v. Rank. primo capite p. 8—21 et Welckeri scripta minn. II p. 543 cum adnot.), ea huic quaestioni nullo modo satisfacientia vidisset, multa pertractatione illud quaesivit, qui fontes essent huius lexici; post F. G. Welckerus in censura Rankiani libelli (v. mus. Rhen. 1834 p. 269—302 et p. 411—440 = script. min. II p. 542—596) repetens illam quaestionem de pluribus rebus eisque gravissimis contrarias sententias dixit. Quae horum uterque protulit, ea disposuit diiudicavit auxit M. Schmidtius in quaestionibus Hesychianis quarto editionis volumini subiunctis, cuius quae effecta sunt disputatione si breviter complectamur, haec fere sit rei summa. [1])

Sic enim statuit e copiis librorum, quibus collectae essent glossae, id est voces aut minus usitatae et quae explicationis aliquo lumine indigere viderentur, aut a dialectis graecae linguae et a barbaris gentibus petitae, tum ex eis, qui nomina complecterentur certis rerum generibus discripta, velut quae pertinerent ad res sacras ad publicas, ad bellum ad res maritimas, denique ad omnem vitae consuetudinem usumque et ad rerum naturam, primum Pamphilum, qui fuit infra Apionem Tiberianae aetatis grammaticum, huic aetati suppar, amplissimum *περὶ γλωσσῶν καὶ ὀνομάτων* opus confecisse quadringentis quinque libris. Hoc magnae molis opus in epitomen

---

[1]) Rankius hanc disserendi viam iniit, ut paucis praemonitis Hesychii ad Elogium epistulam repeteret adiunctis notis, in quibus de singulis locis disputatur, cum iudicio de epistulae scriptore ex eius scribendi genere adumbrato (p. 22—33). 'Libri huius' inquit (p. 20) 'auctorem Pamphilum esse credo, Alexandrinum grammaticum. Primo illud post Christum saeculo conditum, secundo est ab Diogeniano grammatico excerptum. Diogeniani librum igitur manibus terimus, ab Hesychio nescio quo additamentis pollutum et maculatum.' Quae hic posuit antea iam ab J. A. Ernesto significata (l. c. p. 21 coll. Welck. II p. 544), ea deinceps explicare et confirmare studuit. Egit igitur quarto capite 'de Diogeniano lexicographo' (p. 34—71) demonstraturus 'eius lexicon inesse Hesychiano', dicens tum 'de Diogeniani nomine aetate scriptis', denique 'de Diogeniani lexico'; quinto capite 'de Pamphili glossis a Diogeniano excerptis' (p. 72—136), sexto 'de Hesychio lexicographo lexicique eius hodierna forma.' Quae repperisse sibi visus est, hisce verbis comprehendit (p. 141 sq.): 'cognovimus Hesychium grammaticum Alexandrinum, hominem christianum, qui fortasse non immerito ultimi aevi Graeculus Valckenario vocatus est, Diogeniani nobis servasse lexicon; sed ita, ut ipse ne sciret quidem accurate, quam insigne id esset, neque nosset, ante Diogenianum Pamphilum magnam lexicorum collectionem instituisse. Ipse quoniam sese sua manu scripsisse omnia gloriatur, quid impedit, quominus eum nil nisi librarium fuisse opinemur? Deinde cognovimus, excerptum esse ex alio librum, sed non post Hesychium a librario, sed ante eum a Diogeniano. Tenendum tamen est nonnulla Hesychium omisisse, non voces solum, sed etiam vocum interpretamenta. Imprimis ut suspicor contra singulorum grammaticorum nomina, quorum in epistula sua non meminit, licenter grassatus est. Denique perspexisse nos credimus, additamenta saepe perversa non a librariis intrusa, sed ab Hesychio profecta fuisse, et ea, quae post epistulam leguntur, ad Hesychium auctorem redire.' Quae afferri hoc magis oportere putavi, quoniam ex eisdem locis, unde Rankius argumenta duxit, etiam M. Schmidtius sua repetiit, et quia in sequentibus saepius ad illum redire cogar.

contraxisse Julium Vestinum et postea Aelium Diogenianum, qui Hadriani fuit aetate, illum quatuor hunc quinque libris. Lexicon autem illud Pamphileum, saepe excerptum et ab Herodiano inprimis usurpatum paullatim ex usu conspectuque hominum recessisse, quod saepius factum est, ut grandiora opera neglegerentur et perirent, quorum compendia commodiora nec tamen minus bona haberentur. Julii quidem Vestini librum grammaticorum consuetudine receptum non esse videri, Diogeniani vero in usu communi fuisse et magna apud omnes auctoritate floruisse usque ad Byzantinam aetatem vel usque ad Eustathium id est ad saeculum duodecimum, qui liber ab auctore Etymologici magni quoque et a Photio adhibitus fuisset. Hanc porro Diogeniani epitomen pro fundamento fuisse lexico Hesychii Alexandrini, qui ne quid eorum usui deesset, qui cum poetas tum praecipue Homerum legere vellent, propriis eam commodis instruxisset. Primum enim M. Schmidtius posuit Hesychium, id quod a Diogeniano neglectum fuisset, reddidisse ei lexico suum ordinem atque eum secundum singulas cuiusque vocabuli litteras compositum, tum plura correxisse, deinde permulta vocabula petita maxime ex Homericis commentariis addidisse omninoque instituisse plura, quae litterarum studiosos adiutura esse viderentur.

Sed nos Hesychianum lexicon, quale effecisset auctor, tale nunc non habere, vocabulorum enim explicationes decurtatas esse et in brevius coactas, saepe auctorum nomina suppressa, tum novas glossas insertas esse partim ex libris sacris depromptas partim latinas aliasque, ordinem vero nonnunquam perturbatum, denique scripturae mendorum prope nimiam inesse abundantiam.

Et quoniam breviter ut potui capita eorum collegi, quae M. Schmidtius disputavit, quo facilius quid sit de his iudicandum appareat, quibusnam rationibus haec ducta sint videamus.

Ac de Pamphilo nonnulla Suidas et Eudocia tradunt, quae supplentur ab Athenaeo, item Julius Vestinus memoratur in Suidae libro et quibusdam aliis locis perquam paucis, Diogeniani autem apud eundem lexicographum extat scriptorum tabula. Et cum alibi quoque mentio eius plenior aliqua facta sit, gravissimus tamen, quantum ad hanc quaestionem pertinet, de hoc homine locus est in epistula illa, in qua Hesychius de fontibus explicavit eius Diogenianei operis, quod ipse ad faciliorem in litterarum studiis usum accommodaverat. At Valckenarius, cum eius ad Eulogium amicum epistulae professionem longe discrepantem a statu lexici universo deprehendisse sibi visus esset, in schediasmate (v. opusc. II p. 152—164) eam dictitavit a Graeculo recentiore lexico praefixam esse, ut librum momenti nullius augmentis a se ditatum splendidis mendaciis commendaret atque adeo, inquit, existimo Hesychium sive vetus illud et ad adipiscendam eruditionem ingeniumque exercendum utilissimum instrumentum, ista ad Eulogium epistula contaminari (v. p. 164). Neque commotus est contra dicente Ruhnkenio (v. praef. p. XV in edit. M. Schm.), immo iterum eadem contendit tanquam explorata et certa, contra quae nemo quidquam de fide scriptoris epistulae defendere posset (v. Adoniaz. p. 295—299). [2]

---

[2]) De quo Welckerus haec: 'schwerlich hat in einer andern als der alten litteratur einer der anerkannten kenner und meister ein beispiel einer so widersinnigen untersuchung, einer solchen misdeutung und mishandlung eines textes gegeben wie dieses schediasma sie enthält' (l. c. II p. 567) et alio loco: 'die gründe hierfür außer denen, welche Ruhnken zu widerlegen unternahm, zum theil selbst diese, die mäkelei an einzelnen ausdrücken sind, um nichts stärkeres zu sagen, mutwillig

Certe non est negandum opere ipso universa praestitisse non videri auctorem, quae in epistula dicit se fecisse, sed eius rei quae vera causa esset M. Schmidtius in eo quaestionum capite satis demonstravit, quod versatur in explorandis eius lexici post Eulogii aetatem fatis. Suffecerit enim epitomes alicuius suspicioni refellendae illud significasse, idem quod Harpocrationi et Suidae, ut Bernhardyus docuit (v. praef. Suid. p. XLIII sq), etiam Hesychio accidisse, ut qui illis lexicis utebantur in usum suum ea tum circumciderent tum augerent, quale exemplar Harpocrationis brevioris habitus extat in codice Palatino a reliquis diversum. Attamen noster Hesychius quamvis immutatus iure nomen suum obtinuisse iudicandus est, si modo reliqua omnia, quae his mutationibus aliena sunt neque tangi omnino poterant, recte se habere demonstrari poterit. Ita non continuo necesse est epistulae fidei tuendae causa confugere ad epitomes Hesychianae excusationem, quam contra tentationes Valckenarii arcessivit Ruhnkenius. [3]) Ille quidem, ut contemnebat eum qui epistulam illam scripsit, sive Hesychius sive alius quis esset, hanc causam respuens 'saepenumero' inquit 'scilicet miratus sum, ultimi aevi Graeculum (talis mihi videbatur epistulae scriptor) tam diu potuisse viros etiam maximos ludificari et eo perducere, ut lexici a scriptore ad Eulogium locupletati, versare nos epitomen arbitrarentur, in hunc modum demum contractam, posteaquam illa epistula dudum scripto fuisset mandata' (v. opusc. II p. 157) et 'defectus a scriptore ad Eulogium notati cum in Hesychianis nostris reperirentur etiamnum, protinus homines alias acutissimi et naris emunctae, hac ferme sola epistula commoti crediderunt passim, versare nos epitomen tantum Hesychiani operis, post scriptam epistulam ad Eulogium a malis hominibus contracti' (ibid. p. 162). Nec in Rankio (v. l. c. p. 49) aut in Welckero (v. l. c. II p. 567) de epitome aliqua ulla fuit suspicio.

Rankii igitur et M. Schmidtii quaestiones in explicatione versantur huius epistulae, in qua explicanda etiam tota posita erit haec disputatio. Quorum uterque quid quaerendo assecutus sit modo summatim a me est percursum; praeterea eas quas ipse postea secutus est rationes in explicandis eis rebus, quarum summas tantummodo attigit epistula, uno in conspectu M. Schmidtius posuit duobus eis locis (v. p. LXXXV sq. et p. CIII — CV), quibus epistulam e graeco in latinum convertit. Mirum fortasse videatur, sed fidenter hoc confirmo, quam Rankius summam universae quaestionis comprehensam proposuit (v. p. 141 sq.), eius nihil fere stare posse nisi illud Hesychium grammaticum Alexandrinum fuisse, [4]) nec M. Schmidtium recte intellexisse

---

und leer, widerlich' (l. c. II. p. 572). Plurima, quibus Valckenarius intoleranda licentia Hesychii fidem attentavit, plane omitti possunt; ea digesta sunt a Welckero (v. II p. 571—576), qui etiam errorum causas ubique notavit.

[3]) 'Nam si verum est, quod rebus manifestis evicimus, Hesychii lexicon ab epitomatore contractum esse, magnam partem concidunt argutae de epistulae ad Eulogium νοθείᾳ suspiciones. Quippe epistula respondet operi, non quale nunc est, sed quale tum, cum illa scribebatur, fuit' (v. praef. p. XV ed. Schm.). Conferas haec Welckeri verba: 'Ruhnkens behauptung, in dem lexic. rhet. Sangerman. seien eingeschobene artikel eines ächten und vollständigen Hesychius, worauf besonders Villoison zum Apollonios p. L ss. gebaut hatte, wird von Ranke leicht, aber genugsam widerlegt'. Neque usquam plenioris Hesychii comparent vestigia.

[4]) Recte Welckerus: 'den wert der im ganzen mit viel gelehrsamkeit und scharfsinn ausgeführten abhandlung setze ich vorzüglich in die den größten theil der schrift einnehmende sammlung der artikel aus Diogenianos und aus Pamphilos, auf den auch die glossen von Artemidor, Aristophanes von Byzanz, Epaenetos, Hermonax oder Hermon, Seleukos, Herakleon, Timachidas und Amerias bei Athenäus zurückgeführt werden' (v. l. c. II p. 544).

epistulam pluribus locis et gravissimis demonstrabo. Atque illud ut statim commonstretur tantum, qua ex parte uterque rem Hesychianam non satis explicavisse et expedivisse mihi videatur, M. Schmidtius cum maxime id egit quaestione sua, ut Pamphilei illius lexici fontes rationesque aperiret ac de Diogenianea eius operis epitome, quippe cuius ad fundamenta Hesychianum lexicon et ipse referret cum Rankio, altius investigaret eam secutus viam, quam item praeierat Rankius, quem tamen multis numeris superavit. At vero his rationibus alienior est quam uterque iudicavit, ipsa Hesychiani lexici origo, in qua quaerenda Rankius valde erravit itemque M. Schmidtius, quia monitorem gravissimum eundemque harum rerum peritissimum Welckerum non exaudivit. Quodsi iam viris doctis etiam his, contra quos disputaturus sum, haec prima denuntiatione modo significata me probaturum esse spero, quae locis corruptis istius ad Eulogium epistulae emendandis verbisque rectius quam adhuc factum est interpretandis profecisse mihi videor, ut haec de origine Hesychiani lexici quaestio diiudicetur, illud tamen me ex omni utriusque viri rerum tractatione, qua praetexta fuit haec mea disputatiuncula, argumenta repetivisse lubenter ac libere grata memoria profiteor.

Nam cum nuperrime ederentur quaestiones M. Schmidtii Hesychianae, officio quodam studiorum meorum, quoniam hunc Hesychii librum etiam saepius pervolutandum saepe iam pervolutaveram, illuc deductus sum, ut attente eas legerem adhibito Rankiano libello, post cum nonnunquam in eis haesissem denuo eas quam accuratissime ad epistulae verba referebam, qua in re hoc potissimum mihi spectandum esse existimabam, ut verba scriptoris per se ipsa tantum ad leges grammaticas et ad rerum conexum interpretarer. Ita mihi talia agenti inter legendum fere succreverunt haec, quae infra promam, magnam partem illa longe discrepantia ab illorum virorum opinionibus, sed eadem in nonnullis, ut pluribus mensibus post sensi, cum ad haec quae commentariolo aliquo scripta seposueram per hanc scholasticam opportunitatem me retulissem, illuc pertinentia, quo Welckerus dudum eam quaestionem dirigendam esse significavit. Scilicet neglexeram initio opusculum Welckeri, quia, cum remotissimas cuiusque adnotationes de Hesychii lexico curiose collectas vidissem a M. Schmidtio, illud quoque exhaustum esse putabam, praesertim cum aliquoties summi illius viri sententias quasdam allatas invenissem. Meo igitur iure fecisse mihi visus sum, ut quia ita duplici quasi interpretationis testimonio res confirmata esset, si qua in eandem cum mea ipsius sententia partem a Welckero disputata fuerant, haec coniuncte apponerem, cum rursus religiosissime quae propria erant Welckeri inventa indicarem.

In epistula ergo ad Eulogium Hesychius et quid causae sibi fuerit lexici condendi et quid in eo secutus sit consilii cum significare velit vel amico vel lectoribus, eo devenit ut istius operis Diogenianei, cuius suum opus, ut more nostro loquar, nova tantum eaque aucta editio futura sit, institutum rationemque ostendat. His continetur prior epistulae pars. Jam cum ipse impulsus fuerit, quae huic operi ad eum quem spectabat usum deessent, ea ut compleret, in hac epistula incommoda lexici Diogenianei indicat, deinde subiungit qua ratione eis ipse mederi studuerit, tum ad extremum utilissimam fore operam suam se confidere profitetur. His altera pars continetur.

Illud vero in hac auctoris professione cum maxime attendi debet, quod Hesychius de

Diogeniani isto tantum opere, quo fundamento sui ipsius operis usus est, mentionem infert, ut hac in re eius nullo modo interesse potuerit, dum Diogeniani lexici singularem rationem utilitatemque notare in animo habet, alia lexica universo quidem genere ab illo diiuncta, etiam si qua fuerint gravissima maximaeque auctoritatis, honoris causa nominare. Quippe ratio voluntasque ipsa auctoris fert, ut de lexicis tantummodo eis nuntiet, quae Diogenianus suo comprehenderit.

Certum igitur quoddam lexicorum genus cum spectet initio epistulae '*πολλοὶ μὲν*' inquit '*καὶ ἄλλοι τῶν παλαιῶν τὰς κατὰ στοιχεῖον συντεθείκασι λέξεις*', quibus in verbis quoniam articulo *τὰς* demonstratur aliquid quod dudum constat vel re vel cogitatione, 'talia secundum literarum ordinem digesta lexica' significantur. Hemsterhusius quidem scribere maluit '*κατὰ στοιχεῖον συντεθείκασι τὰς λέξεις*', quia melius hic iungerentur *κατὰ στοιχεῖον συντιθέναι* quam *αἱ κατὰ στοιχεῖον λέξεις*. Nec quidquam profecit Rankius monens illa dicta esse ad similitudinem horum '*αἱ κατὰ καιροὺς πράξεις*' et '*ἐν τῷ κατὰ στοιχεῖον μεγάλῳ βιβλίῳ τοῦ Σουΐδα*' (v. l. c. p. 22), quibus collatis quid confirmare voluerit omnino ego quidem non intellego. Recte enim quin se habeat ea structura per se ipsa dubitari nequit ac quid senserit auctor apte designat. Nam cum animo eius obversetur ea lexicorum *κατὰ στοιχεῖον* ratio, qualis ipsius est, hanc ipsam articulus significat, in qua fuerunt ea lexica, quae deinde exempli causa profert vel singulorum poetarum vel quae poetici alicuius generis sunt. Quod quia lexicorum quoddam genus praeter cetera distingui voluit Hesychius, hac distinctione alia genera omnino praetermissa sunt. Sed quae tandem sunt ista his contraria? eane quorum vocabula non fuerant disposita ex ordine cuiusque litterae an ea quae, sicut Rankius et M. Schmidtius de Diogenianeo opere opinantur, ternarum tantum aut quaternarum litterarum aut singularum in initio cuiusque vocabuli ordinem respiciebant?

Neutrum horum verum esse sequentia verba declarant: *ἀλλ' οἱ μὲν τὰς Ὁμηρικὰς μόνας, ὡς Ἀππίων καὶ Ἀπολλόδωρος ὁ τοῦ Ἀρχιβίου· οἱ δὲ τὰς κωμικὰς ἰδίᾳ καὶ τὰς τραγικάς, ὡς Θέων καὶ Δίδυμος καὶ ἕτεροι τοιοῦτοι· ὁμοῦ δὲ πάσας τούτων οὐδὲ εἷς.* Talia igitur lexica multi confecerunt, sed alii Homerica ut Apio et Apollodorus, alii comica et tragica ut Theo et Didymus, alii alia eiusmodi sive ut scriptor dicere maluit 'alii horum similes, id est, qui in eodem lexicorum genere elaboraverunt.' [5]) In his non sunt inter se oppositi iste *κατὰ*

---

[5]) Vera esse haec quae Hesychius refert confirmatur ipso quod nunc extat Apollonii lexico, sive hoc integrum est, quod semel et iterum M. Schmidtius asseverat (v. l. c. p. CXIV n. 2 et p. CXVI n. 1), sive aliquantum e genuino mutatum, sicuti iudicavit Bernhardyus (v. hist. litt. gr. II p. 171 edit. 2). Etiam Apionem ipsum glossas scripsisse pro certo habere debemus cum Ruhnkenio (v. praef. p. XVI edit. Schm.), quem citant cum Heliodoro coniunctum scholia Veneta ut glossographum (ad Il. ο 334 '*οἱ δὲ γλωσσογράφοι, ἤγουν Ἀπίων καὶ Ἡρόδωρος*), quamquam eas glossas quae nomine eius inscriptae sunt in codice Barocciano 110. bibliothecae Bodleianae (v. Ruhnk. praef. l. c.) et quae extant in codice Darmstadiensi quodam (v. Bast. ad Greg. Cor. p. 894), partim publicatae post Etymologicum Gudianum, ab eo recte abiudicasse Ruhnkenius videtur. Eas vero Apionis glossas quae Diogeniani tempore extarent huius nomine praeditas fuisse, non quia ab ipso compositae, sed ea de causa, quod e commentariis eius Homericis decerptae a grammatico aliquo in hanc demum formam post Apionem redactae fuissent, hoc quamquam Welckerus (v. l. c. II p. 556 sq) coniecit, iudicare nobis non licet et quia Apionis nomen ceteris coniunctum est, quorum glossaria habemus explorata, et quia Hesychius demum ipse ex eius commentariis *λέξεις* quasdam petisse infra demonstrabitur. Apio igitur glossas scripsit (cf. Bernh. l. c. p. 161. 171). Atque cum non desint testimonia Didymeis glossariis, de quibus infra suo loco plura animadvertere cogemur, Theonis quoque de glossariis in utroque genere et comico et tragico

στοιχεῖον ordo et alteruter eorum, quos modo posuimus, sed lexica separatim ad unum pluresve poetas pertinentia intelleguntur et ea quidem, ut antea dictum est, ad literam composita.

Jam quaerendum est de his verbis '*ὁμοῦ δὲ πάσας τούτων οὐδὲ εἷς.*' Rankius dubitat an *πάσας τούτων* significet 'omnes harum i. e. vocum', at nunquam dici potuit pro *ταύτας πάσας* vel *πάσας ταύτας* sc. *συντεθείκασι* per genetivum nescio quem *πάσας τούτων*. Et M. Schmidtius in adnotatione explicans *τούτων*, ut Albertus, de scriptoribus 'horum' inquit 'poetarum: Homeri, tragicorum, comicorum, ita ut suppleantur ex adiectivis nomina ipsa poetarum. Quod hoc etiam mirabilius videri debet, quia, si hoc verum est, *τούτων* necessario pertinet ad Homerum tantum tragicos comicos. Hoc M. Schmidtium intellexisse videmus, nam de suo addere non est ausus 'et aliorum.'

Sed enim non hos modo poetas, quorum glossaria nominantur atque adeo non modo poetas intellegi, sed etiam alios scriptores perspicuum erit inde, quod eius laudatur lexicon qui primus universum illorum lexicographorum ex operibus composuerit et qui praeter lyricos poetas et oratores etiam medicorum libros et historicorum adhibuerit. Ex quo intellegitur *τούτων* referri ad glossographos, et proxime quidem ad *ἕτεροι τοιοῦτοι*, longius vero ad *οἱ μὲν* et ad *οἱ δὲ* pertinere.

Ac ne cui forte nimia prope explicationis liberalitate istam praefatiunculam cumulaturus esse videar, ipsa eius epistulae oratio, quae nuncupata est salebrosa, neglegens, omnis elegantiae expers, inepta verborum exsuperantia, plena satietatis eorundem verborum repetitione, stomachum fecit Valckenario Rankio M. Schmidtio, [6]) ut accuratae interpretationis incuriosi sibi fingerent sententias vel maxime eis contrarias quae ipsis verbis continebantur. In quibus cum tamen nonnulla offensio esset, eius rei excusationem ab aliquo Hesychii errore petebant. Sunt sane quaedam insolita et quae licet inconcinna dicas, at levissima sunt neque quidquam plane valent ad universam quaestionem, tamen cetera, cum ab his, quae suis locis notabuntur, discesserimus, tam commode explicata sunt, ut omnis dubitatio praecisa sit de principali fonte consilio labore Hesychii in lexico Diogenianeo perpoliendo. Huius igitur quaestionis firmissimum subsidium magis adeo et ab interpretatione et ab emendatione istius ad Eulogium epistulae petendum est quam ab alio ullo instrumento. Neque enim de Hesychio ipso quidquam sciremus, nisi lexicon eius ad

---

vindicandis Ruhnkenio adsentiri debemus (v. Welcker. l. c. II p. 557), quamvis dubitet Ahrensius de lexico tragico (v. bucoll. gr. II p. XXIX sq). De Valckenarii arbitriis (v. opusc. II p. 159 sq) satis est excitasse Welckerum (l. c. II p. 573).

[6]) cf. Rank. l. c. p. 26 not. 15 et p. 29, de quo Welckerus (l. c. II p. 549) haec iudicat: 'daß der brief ganz mit pleonasmen angefüllt sei, ist ein von Valckenaer übernommener, aber nicht gegründeter vorwurf. Gemildert erscheint dagegen hier der gegründete vorwurf, welchen Valckenaer durch mera sermonis stribiligo ausdrückt' et (l. c. II p. 546): 'auf gar besondere ausdrucksweise muß man nach dem stile dieses briefes gefaßt sein' et (l. c. II p. 548): 'das dritte kapitel über den schreiber des briefes nach seiner schreibart ist nicht mit der dieser frage gebührenden aufmerksamkeit und unbefangenheit behandelt, woher denn die in das 6. geworfenen folgerungen über die zeit des buches, die freilich zum theil auch von der gegenwartigen beschaffenheit desselben abhängen, den ungeheuren irrthum Valckenaers hinsichtlich des zeitalters, worin der brief geschrieben sei, in sich aufnehmen.' Idem de ista Valckenarii sententia hoc dicit (l. c. II p. 572): 'aus dem ungelenken und hier und da struppigen stil eines ägyptischen Griechen schließt Valckenaer, daß der verfasser des briefes ultimi aevi Graeculus gewesen sei, später als Suidas und das große Etymologicum, ja Graeculus recentior: ein Valckenaer thut dieß, ohne sich umzusehen, ob auch eine spur von neugriechischer sprache und schreibart da sei.' Adde M. Schm. l. c. p. CIV.

nos pervenisset, nec de lexici fontibus reliquaque Hesychii in hoc condendo opera, etiamsi quaedam satis aperta fuissent, profecto tamen certiora ut unquam cognosceremus nobis nisi hac epistula edoctis contigisset.[7])

Redeo ad verba *ὁμοῦ δὲ πάσας τούτων οὐδὲ εἷς*, unde ut huius quaestionis rationem confirmaremus huc declinavimus. Scriptor igitur cum initio haec dixerit, multos vocabula collegisse secundum ordinem litterarum, sed separatim tantum Homeri, tragicorum comicorum, ut Apionem Apollodorum, Theonem Didymum aliosque, transitum facit ad Diogeniani memoriam (*Διογενειανὸς δὲ τις μετὰ τούτους γεγονὼς* et q. s.) ita, ut horum, quos modo nominavit, neminem universa collegisse addat. Ita iam interpretatus est hoc additamentum M. Schmidtius l. c. p. LXXXVI quamquam et ipse alia ratione usus est in adnotatione eius loci critica, et dudum Valckenarius, cui tamen illud tam inane videbatur (v. opusc. II p. 157 sq), ut id cum tota epistula in Graeculum nescio quem recentiorem conferret. Quamquam acrius et subtilius dici potuit, tamen sententiae vis integra est ac plana.

Venio nunc ad eum locum, in quo quasi certamen est controversiae. Quoniam Diogenianus primus universum lexicon instituisse ab Hesychio refertur, Rankio et qui huius vestigia persequebatur, M. Schmidtio perquam mirum esse visum est, quod Hesychius in ista epistula ne strictim quidem attigisset lexicon illud gravissimum, cuius Diogenianeum illud opus, quo ipse toto usus fuisset fundamento sui, epitome fuisse fertur, Pamphili dico opus amplissimum *περὶ γλωσσῶν καὶ ὀνομάτων*. Accedit quod easdem glossas, quas Athenaeus aliique Pamphili nomine modo apposito modo omisso ex eodem illo huius opere attulerunt, maxima ex parte, tamen non omnes, extare in Hesychii quoque libro Rankius et plenius M. Schmidtius Pamphili fragmentis collectis demonstraverunt et ita quidem extare, ut uberiores Pamphili explicationes quamquam in brevius coactae illarum tamen similitudines quasdam obtinuisse videantur, deinde ut auctorum

---

[7]) cf. Welcker. (l. c. II p. 570 sq): ‘wenn es nützlich ist, an beispielen auch wie die kritik nicht geübt werden soll, zu zeigen, so findet man wenig beßere als dieses von dem großen L. C. Valckenaer aufgestellte. Hier oder nirgend sieht man, wie nachtheilig es ist, zu zweifeln, zu ändern, zu tadeln, zu verwerfen und zu schmähen, bevor man alle einzelnen momente wohl gegen einander gehalten und alle versuche der auslegung und einer in das gegebene eindringenden erganzung erschöpft hat’ et de Hesychio aliunde plane incognito haec idem protulit (l. c. II p. 554. 555): ‘daß unser Hesychius von keinem alten schriftsteller genannt und nur in einer handschrift auf uns gekommen ist, fiel auf, und mit der gewöhnlichen voreiligkeit haben daher manche die ächtheit des namens auf verschiedene art bezweifelt . . . Und was die eine handschrift betrifft — denn die spuren einer mediceischen und einer in England (Ranke p. 1), da sie zu verborgen waren, kommen nicht in anschlag — so zähle man doch nach, wie viele und welche griechische und römische schriften nur in einer handschrift erhalten sind. Selbst von dem lexicon des Photius, das doch für die späteren zeiten eine ganz andere brauchbarkeit hatte als Hesychius, ist der Cod. Galeanus das einzige alte exemplar. Daß in der vorrede zu diesem der patriarch das lexicon des Diogenianus, den wir auch bei vielen grammatikern angeführt finden, als die vorzüglichste sammlung der *λέξεις περὶ ἃς τὸ ποιητικὸν νέμεται ἔθνος* auszeichnet, läßt vermuthen, daß die berühmtheit des originalwerks der verbreitung der durch Hesychius vermehrten ausgabe vielleicht eintrag gethan hatte. Möglich ist auch, daß diese selbst bei manchen unter dem namen Diogenianos gegangen wäre. Die spezialglossarien und unter diesen besonders die rhetorischen, philosophischen, die über das attische musten, jemehr die gestalt der gelehrsamkeit sich änderte, der kreis sich verengerte, um so großeres ubergewicht über die allgemeinen erhalten, besonders auch darum, weil in diesen das studium der dichter weit am meisten bedacht war. In den zeiten nach dem 4. jahrhundert, in welches man den Hesychius setzt, einen grammatiker, von dem nichts als die vermehrte abschrift eines wörterbuchs bekannt ist, nicht angefuhrt zu finden, ist in der that nicht zu verwundern, und weniger ist es zum erstaunen, daß nicht mehrere, als daß wirklich ein exemplar bewahrt geblieben ist, während das veränderte, vielleicht sehr viel gebrauchte werk des Diogenianos unterging.’

nomina, quorum e libris excerptae sunt, eadem inveniantur, nisi omnino deleta sunt.[8]) Quod si ita est, Hesychii lexicon aut ex ipso Pamphileo aut ex alio quodam libro, in quo inerant Pamphili copiae, derivatum videtur esse.

Et cum Hesychius Diogeniani librum, cui nomen erat *Περιεργοπένητες*, totum in suum lexicon se transtulisse ipse professus sit, illud autem Diogeniani opus, si quidem Rankio et M. Schmidtio credimus, aliud non fuerit nisi Pamphilei summarium, satis mirum videri debet, quod Hesychius in epistula Pamphili nomine neglecto Diogenianum ut primum talis operis confectorem laudaverit. Huius igitur lexici de origine fontibus, ratione instituto cum Hesychius ita retulerit, ut suo Marte id opus Diogenianus effecisse putandus sit, consequens est ut, dum modo revera illa quam diximus necessitudo inter Pamphilum et Diogenianum intercesserit, M. Schmidtio assentiamur, cuius sententiam ipsius verbis proferam. 'Ex his' inquit (l. c. p. LXXXVI) 'quid spectaverit Diogenianus satis quidem puto constare, sed unde hoc compertum habuerit Hesychius non constat. Suspicor tamen eum compertum habuisse ex ipsius Diogeniani sive praefatione sive epistula aliqua in limine operis comparente. Nam quod de Diogeniano praedicat Hesychius, quod Pamphilo potius erat laudi vertendum, hoc peccatum haud scio an commiserit ab ipso Diogeniano deceptus, quem in praefatione illa, licet Pamphili mentionem quin faceret non potuisset, gloriosius tamen de semet ipso praedicavisse probabile est. Reliqua enim quae de Diogenianeo glossario narrat Hesychius, non modo refutari non posse, sed etiam verissima esse et potest demonstrari et infra a nobis demonstrabitur.'

De Pamphilo igitur ut Hesychius in tanta necessitudine omnino taceret factum esse M. Schmidtius opinatur Diogeniani magis arrogantia aliqua quam ipsius culpa. Attamen vero universam hanc argumentationem eo niti apparet, quod minime certis testimoniis confirmatum est, Diogenianeum eum librum, quem Hesychius adhibuerit, et Pamphilei illud summarium idem fuisse opus, quo sublato ne illa quidem sententia stare poterit.[9])

Eo iam enitetur nostra quaestio, ut diversa haec opera fuisse appareat. De Diogeniano

---

[8]) 'Iam huic utriusque' inquit M. Schmidtius 'in auctoribus eligendis consensui adde verborum, quibus uterque in glossis explicandis usus est similitudinem et nega Hesychium aut ipso Pamphili opere adhuc uti potuisse, aut ab alio quodam libro pendere ex amplioribus Alexandrini copiis in summarii angustias coacto. Illud fieri potuisse ac fortasse hic illic factum esse non negaverim quidem, sed Hesychium alteram viam eamque commodiorem ingredi maluisse et Pamphili operis historia subindicat et eius epistula ad Eulogium data, modo genuina sit, asseverat' (l. c. p. LXXXIV). Addo haec Rankii verba (l. c. p. 103): 'simul Athenaeo et Hesychio inter se comparatis Pamphili nos habere librum, eo magis confirmatur' et (l. c. p. 108): 'neque dubitamus amplius, quin Hesychius noster fere nihil sit nisi Pamphilus brevior.'

[9]) Addo ea verba, quibus Welckerus suae sententiae rationes praemunivit, ad meam eandem causam utilia: 'daß des Diogenianos auszug in fünf büchern aus dem glossar des Zopyrion und Pamphilus, unter dem titel, wie es nach Suidas scheint *λέξεις παντοδαπαί*, ... mit dem von Hesychius beschriebenen buche unter dem namen *Περιεργοπένητες* eins sei, hat man ohne weiteres allgemein angenommen . . . Hesychius sagt, Diogenianos habe den fleißigarmen selbst aus spezialglossaren, die er einzeln anführt, zusammengesetzt und in streng alphabetische ordnung gebracht, und nach Suidas hatte derselbe nur einen auszug aus einem von andern vollendeten großen glossar gefertigt. Suidas hat ansehen in den litterarischen nachrichten, Hesychius muste daher sich gefallen laßen, entweder für so unwißend zu gelten, daß er nicht ausgemacht hätte, wie es sich mit dem werke, das er abschrieb und vervollständigte, verhielt, daß er vielleicht von Pamphilos nie etwas gehört hätte, oder ein lügner und betrüger gescholten zu werden. Eines wäre so unbegreiflich wie das andere, und auch das ist unbegreiflich, wie die, welche die sache prüften, dabei haben stehen bleiben können' (l. c. p. 562. 563).

autem nihil prius statui poterit, nisi quaestio illa de Pamphilo expedita fuerit. Et quoniam illud maxime quaerendum est, quidnam fuerit cur Hesychius de Pamphilo nihil commemoraret, tria sunt omnino quae deinceps in disceptationem et in controversiam cadant.

Primum igitur ut Pamphili mentio ab Hesychio praetermitteretur fieri potuit, quia illius opus tunc aut omnino non extaret aut incognitum esset ut ista posteriore aetate. Quorum illud a veritate abhorrere non videtur, Pamphili opus, cum duae essent eius epitomae, intra spatium quod est a tertio fere p. Chr. n. saeculo usque ad quintum describi desiisse.[10] Hos enim terminos definire quae res cogant, si illud argumentum acceperimus, aliunde apparebit. Athenaeum enim et Herodianum Pamphileo opere usos esse, contra Diogenianeam eius epitomen et ab auctore Etymologici magni et a Photio, qui Diogenianum nominavit, Pamphili nusquam meminit, praeterea a scholiastis quibusdam (v. l. c. p. XCI—CIII) adhibitam esse M. Schmidtius demonstravit. Cui demonstrationi haec subiunxit: 'quo maturius Pamphilus a Julio Vestino in summarii angustias redactus in oblivionem ivisse videtur, eo tenacius famam ex simili opella collectam servavisse Diogenianum multa probant indicia. Quid multa? Adeo nulli sunt insequentium annorum lexicographi, quin mutuatis aliquot a Diogeniano luminibus fulgeant, nulli etiam scholiorum quodlibet scriptorum poetarumque genus attingentium compositores, quin complura argumentis ab auctoritate Diogeniani ductis stabilire conentur, ut dubium non sit, quin dignitate, qua apud posteros fruebatur, Didymum etiam Herodianumque aequiparet.' Superfuisse autem Pamphili opus Hesychii aetate, cuius extremi fines circumscripti sunt a M. Schmidtio annis DXXX et DCXLII p. Chr. n. (v. l. c. p. CLXXXVIII), quamquam non constat, at illud tamen exploratum est, consultum esse solum Diogenianeum librum ab istis auctoribus, qui supra nominati sunt.[11] Sed illud Pamphili opus sive non superfuit Hesychii aetate sive incognitum fuit, Diogenianum certe facere non potuisse quin Pamphili librum nominaret in prooemio epitomes, unde Hesychius cognosceret, omnino negari non potest neque M. Schmidtius negavit. An vero ullo modo credibile est Diogenianum aequales decipere aut potuisse aut voluisse ita, ut laudem eius epitomes, quam e Pamphili copiis excerptam esse Suidas tradit, Pamphilo detractam sibi ipsi adrogare auderet? Diogenianus ergo de Pamphilo mentionem fecerat atque fontes illius aliquo modo persecutus fuerat: Hesychium, quem diligentem et attentum in hoc labore fuisse scimus, Diogeniani verba in contrariam fere vim atque ille ipse acciperet pervertere potuisse existimabimus eo usque, ut Pamphili auctoritate sublata non modo omnem laudem Diogeniano male tribueret, verum etiam ipsis verbis eum primum post priores lexicographos universalis lexici

---

[10]) cf. Rankii sententiam in encyclop. Hal. s. v. Pamphili a. 1838 propositam: 'man vergesse nur nicht, daß das buch des Pamphilos verloren war und des Diogenianos titel leicht täuschen konnte, um den irrthum des Hesychius und Photius natürlich zu finden' (l. c. 3, 10 p. 243).

[11]) Attulisse tamen iuvabit Rankii haec verba (l. c. p. 132): 'quaeritur enim quid sit, quare Hesychius nihil de Pamphilo cognoverit, et sibi in manibus esse librum ab Diogeniano conditum existimarit? et, quod addendum est, quare Photium quoque id fugerit? Ac primum quidem Pamphili liber, postquam duae epitomae natae erant, describi desiisse videtur. Id argumentum non improbabile esse quamquam negari nequit, tamen non sufficit ad demonstrandum, quod volumus. Quod enim nos ex Suida didicimus, qui potuisset Photius ignorare, cui tot erant adiumenta nobis erepta? Quamobrem alia nobis est ratio quaerenda.' At hoc Photii silentio de hac Pamphilea quaestione nihil decerni statim apparebit.

conditorem appellaret? Hoc sane incredibile est. Quae cum ita sint, deinceps est videndum, deditane opera Hesychius Pamphilum neglectum reliquerit, quia immodico Diogeniani studio ductus in hunc illius merita transferre vellet. Cur hoc fecerit, equidem nulla ratione intellego. Nihil enim fingi potest emolumenti, quod sibi ipsi ea fraudatione quaesierit. Et Diogeniani causa, qui pluribus saeculis antea fuit, ut haec simularet quidnam eum commovisse putemus? Sed ut id fecerit sane, nullo negotio aut Alexandriae, ubi Hesychius fuisse videtur, aut alibi ea fraus convinci potuit, praesertim cum Suidas et Pamphili et Diogeniani opera enumeraverit, ut opus istud Pamphileum certe Hesychii aetate iam deperisse iudicari non debeat.

Quamquam quid opus est amplius tales coniecturas aucupari, cum verba scriptoris ipsa quid de Diogeniano senserit satis arguant.

Diogenianum quendam narrat qui post illos fuisset, universale lexicon diligenter confecisse, quod tamen non omnino hominum litterarum studiosorum desideriis satisfacere addit. Quae deinde notavit vitia et incommoda eius libri, his quo labore et consilio mederi studeret, simpliciter sine ulla verborum exornatione exposuit. Quae hic promisisset, ea vera esse cum Rankius et M. Schmidtius docuerint, illa, quae de Diogeniano retulerit, item esse vera cur non credamus?

Relinquitur igitur illud, ut propter consilium et institutum operis Hesychius nullam habuerit causam, cur Pamphilum nominaret. Quodsi nulla eius mentionis causa fuit, profecto etiam omni erroris aut simulationis culpa vacuus est. Jam quis hoc non sua sponte viderit, id quod consulto supra praemonuimus, Rankium et M. Schmidtium eo adductos fuisse, ut epitomen Diogeniani Pamphileam ab Hesychio locupletatam esse putarent, quia nisi hac ratione explicari non posset, unde ea quae inter Pamphilum et Hesychium manifesta esset coniunctio extitisset. Quae tamen sunt longe secus. Sed, quoniam contra hoc opinionis arbitrium satis disputavisse mihi videor, nunc simpliciter totius causae controversiam expediam ac suis rationibus concludam.

Ego quidem, cum negem quidquam esse medium, contendo, quoniam de epitome Diogeniani Pamphilea cogitare verba ipsa non modo non cogant, sed prohibeant etiam, ea omnia recte se habere necesse esse, quae de Diogeniano proferantur, nisi ista ad Eulogium epistula subditicia sit. At epistulae fidem esse habendam quis in hoc quasi limine quaestionis neget? [12]) Quid vero egit M. Schmidtius? Reliqua epistulae verissima iudicat, quae contra de Diogeniano

---

[12]) Valent ad fidem Hesychii tutandam, quae si steterit, etiam haec quaestio stabit, cum eis quae infra per disputationis opportunitates monebuntur haec quoque Welckeri verba (v. l. c. II p. 553. 554): 'richten wir auf den innern charakter des briefes an Eulogius den blick, so erkennen wir einen wohlmeinenden, fleißig und zweckmäßig arbeitenden mann, der das werk, wovon er eine vermehrte ausgabe liefert, nach seiner einrichtung, bestimmung und verdienstlichkeit schildert, den vorgänger lobt, einiges was er vermisst mit aller sorgfalt nachzutragen verspricht. Mit großer bescheidenheit äußert er sich über sein ganzes unternehmen: *οὐ γὰρ ὀκνήσω μετὰ παρρησίας εἰπεῖν*, und rühmt allein, was nach Lessing jedermann zu rühmen frei steht, seinen fleiß, daß er keine mühe gescheut habe um nicht dieselben vorwürfe, die er dem Diogenianos mache, mit recht auf sich zu ziehen. Nachdem er die arbeit soviel möglich vollendet habe, schickt er sie seinem geliebtesten freunde, dessen nachsicht ihr zur empfehlung gereichen werde. Für einen großen gelehrten gibt er nicht entfernt sich aus . . . Wer, der ein so bedächtig und der sache, wenn auch nicht dem stile nach, einfach geschriebenes vorwort mit unbefangenheit list, sollte nicht geneigt sein ihm glauben beizumessen, nach ihm seine vorstelluug über das werk, da außerdem darüber schlechthin nichts gemeldet wird, zu bilden? und sollte man sich nicht scheuen, einem schriftsteller, der uns so manches überliefert, das wir ohne ihn gar nicht wüsten, manches auch, das wir anderwärts bestätigt sehen, ohne die wichtigsten gründe irgend einen bestimmten punkt seiner angaben abzuläugnen und abzustreiten?'

narrat Hesychius, ea ad Pamphilum potius pertinere arbitratur eumque gravissimum Hesychii errorem Diogeniani arrogantia quadam, quae tamen nunquam coargui poterit, natum esse dicit.[13]) Relinquitur igitur, ut Diogeniani id opus, quod Hesychius dote sua ornavit, diversum fuisse statuamus ab eo, quod Suidas et Eudocia Pamphili epitomen vocant.[14])

Iam vero sine ulla dubitatione sic statuo et iudico, lexicon Pamphileum ratione sua longe diversum fuisse atque seiunctum ab eo, quod Hesychius exornavit; porro ne potuisse quidem Diogenianum, etiamsi voluisset, e Pamphili apparatu suum, quale erat, ducere. Igitur hac quoque ratione vel maxime illud confirmabitur, Diogeniani id lexicon, quod inest in Hesychiano, diversum fuisse ab epitome Pamphilea, quam Suidas et Eudocia commemorant. Cuius rationis argumenta posita sunt et in lexici Pamphilei natura et in ista epistula et in testimoniis veterum.

P a m p h i l i opus, quod inscribitur *περὶ γλωσσῶν καὶ ὀνομάτων*, hoc nomine bis citatum est ab Athenaeo, contra alibi brevioribus nominibus aut *περὶ γλωσσῶν* aut *περὶ ὀνομάτων* (v. M. Schmidt. l. c. p. LX). Constabat ex libris aut nonaginta quinque aut ducentis quinque aut quadringentis quinque (v. l. c. p. LX sq) ac duplex copiarum genus continebat, quorum unum

---

[13]) Rankius talem errorem aliquem ad Hesychium convertit, M. Schmidtius eius causam rursus ad Diogenianum retulit, ille tamen aliquando sensit diversam fuisse istam epitomen ab altero Diogeniani libro. ‘Suidas’ inquit ‘librum Diogeniani e Pamphili excerptum dixit esse; nos id probabimus. Sed quid? s i m a x i m a m p a r t e m a P a m p h i l o a c c e p i s s e t , a l i a a d d i d i s s e t i p s e , n o n n e n o s q u o q u e , s i u n i v e r s e l o q u i m u r , e i u s l i b r u m e p i t o m e n v o c a r e n o b i s l i c e b i t ? . . Q u o d s i a u t e m d e s u i s n o n n u l l a D i o g e n i a n u s a d d i d i t , n o n n e n o s q u o q u e c o m m o v e r i p o s s u m u s , u t P a m p h i l i o b l i v i s c a m u r a l i q u a t e n u s ? . . . . Ubi Hesychius Diogeniani merita celebrat, et quae comprehenderit in lexico enumerat omnia: loco postremo ad p r o v e r b i a transit, eorumque quot reperire potuerit, se recepisse contendit. N i s i e g r e g i e f a l l o r , h o r u m n e m i n i m u m q u i d e m v e s t i g i u m i n P a m p h i l i l i b r i s d e p r e h e n d e b a t u r . Nam neque in inscriptione operis ‘*περὶ γλωσσῶν*’ aliquid inest de proverbiis, neque apud Athenaeum, neque apud alium scriptorem inter paroemiographos Pamphili nomen apparet. Circumfertur Diogeniani liber ‘*περὶ παροιμιῶν*’; ac diu quaesitum est, utrum ex Hesychiano lexico excerptus, an proprius fuerit liber. Crediderim proprium ab initio fuisse librum, dein ab ipso Diogeniano in lexicon receptum, duplici via ad nos perrexisse. Iam q u o d d e p r o v e r b i i s d i x i , f o r t a s s e d e v e r b o r u m g e n e r i b u s n o n m i n u s c e r t e c o n t e n d a t u r ; e q u i d e m t a m e n , q u o u l t e r i u s p r o g r e d i a r s i n e e r r a n d i p e r i c u l o n o n h a b e o’ (v. l. c. p. 132 sq). — ‘A t e t s i h a c r a t i o n e P h o t i i H e s y c h i i q u e s i l e n t i u m d e f e n d i t u r v e l e x c u s a t u r p o t i u s , t a m e n H e s y c h i u s c e r t e a b e r r o r e n o n l i b e r a b i t u r . I s e n i m h a u d d u b i e e t i n r e p r e h e n d e n d o e t i n l a u d a n d o D i o g e n i a n o m o d u m s u p e r g r e s s u s e s t’ (v. l. c. p. 133).

[14]) Comparentur hae Welckeri rationes nostris simillimae (v. l. c. II p. 563. 564): ‘die verschiedenheit beider lexikalischer werke, die wir nicht demselben Diogenianos zuzuschreiben keinen grund haben, würde schon wegen der durchaus verschiedenen und von beiden gleich deutlich und gleich glaubwürdig angegebenen entstehung und beschaffenheit unbedenklich anzunehmen sein. Allein es kommen einige umstände und betrachtungen hinzu, um uns hierin zu bestärken. Hesychius ist lexikograph, er übt dieß geschäft, oder die ganze vorrede wäre ein unbegreifliches gewebe der seltsamsten lügen, nicht ohne einen vorrat von glossarien und anderen büchern, nicht ohne fleißige nachsuchung und er schreibt dem Diogenianos die erste ausführung eines allgemeinen glossars zu, eine erfindung, die bei der ansehnlichkeit dieses litteraturzweigs, der besonders in Alexandria seit so langer zeit gepflegt war, nicht gering anzuschlagen ist. Hätte nun schon Pamphilos ein jahrhundert vor Diogenianos ein solches lexikon, in weit größerem umfang, in 95 büchern, geschrieben, Diogenianos aber in seinem auszuge daraus, oder das exemplar des Hesychius von demselben den namen des Pamphilos auch gar nicht enthalten, so muste doch an so vielen andern orten von dem lexicon des Pamphilos, des Alexandriners, des Aristarcheers die rede sein, daß es dem Hesychius, dem Alexandriner nicht dem titel nach unbekannt sein und daß er also nicht den Diogenianos, hätte er auch dessen epitome irrig für original gehalten und die glossarien, woraus das original zusammengesetzt sei, aus dem buche selbst abgenommen, erfinder dieser art von wörterbüchern nennen konnte.’ Probavit hanc sententiam Bernhardyo (v. adnot. Suid. s. v. *Διογενιανός*), in quam ante Welckerum inciderat Ruhnkenius.

complectebatur superiorum glossographorum collectiones, alterum onomastica satis multa (v. l. c. p. LXXIII sq). 'Duplex in adornando glossario suo Pamphilus secutus est consilium. Nam cum videret antiquitatis studium cognitionemque partim a verborum intellectu partim a rerum scientia pendere, opere suo laboriosissimo satisfacere non modo iis voluit, quibus in lectione veterum scriptorum poetarumque impedimenta inferrent vocabula vel obsoleta et abstrusa vel singulis gentibus auctoribusque peculiaria, sed iis etiam qui priorum seculorum et res et genium cognituri haererent in institutis moribusque mutatis temporibus et ipsis mutationes mirificentissimas perpessis' (v. l. c. p. CLXX). In priore genere erant *γλῶσσαι*, in hoc *ὀνόματα*, id est, nomina ad res spectantia divinas, quotidianas, militares, civiles, tum nomina animalium, plantarum, metallorum aliaque multa, quod institutum uberius explanavit M. Schmidtius (v. l. c. p. CLXX—CLXXII). Tale opus plane comparari potest cum encyclopaedia quam vocant reali Brockhusii sumptu edita, instrumento illo utilissimo hominibus litteratis.

Haec tam immensa et infinita materies quibusnam rationibus digesta fuerit cum quaerimus, illud statim miramur, librorum eius operis numerum tantum fuisse, id quod nec Rankius nec M. Schmidtius ullius ponderis ad hanc Hesychianam quaestionem putaverunt. Gravius est hoc quiddam quam quod neglegatur, patet enim in promptuque est capita quaedam intellegenda esse libris significata, quae ex sua vi et natura definita fuerint. Atque unius eius lexici partis, quae *ὀνόματα* continebat, universam materiam, quippe quae res aliquo modo memorabiles comprehenderet a multis antea notatas et collectas, suis generibus et partibus ita distributa fuisse perspicuum erit, ut res similis argumenti sibique genere propinquae una componerentur. Huic tamen ordini pro rerum generibus disposito incertum est num subiecta fuerit nominum series ad singulas cuiusque nominis litteras accurate instructa, ita ut tot existerent series nominum ad litteram confectae, quot capita essent. Talem enim rerum distributionem fuisse, qualis e numero librorum et e rei indole verisimilis videtur, cum similitudine aliorum lexicorum, ut Aristophanis Byzantii glossarum, tum maxime ea ratione probabile fit, per quam Athenaeum vocabulorum quasdam classes e Pamphileo libro excerpsisse ex horum ipso ordine, quem obtineant apud Athenaeum, concludi potest (v. M. Schmidt. l. c. p. CLXXII sq). Glossarii autem, quae altera pars erat eius operis, institutionem et ex onomastici similitudine et ex aliis momentis hanc fuisse verisimile est, ut contineret glossas, id est, rariora, obsoleta, obscura vocabula, genere quoque vel poetico vel prosaico disposita (v. l. c. p. CLV—CLXIX. CLXXIII sq). Velut credibile videtur tragicas et comicas glossas uno aliquo loco constructas fuisse aut earum capita vel singulorum poetarum nominibus vel poetarum familiis quibusdam divisa fuisse. [15]) Et quamquam de ordine glossarum nominumve singulis capitibus subiectorum dubitari potest, tamen utrum ad primam quamque litteram series vocabulorum instructa fuerit (v. M. Schm. l. c. p. CLXXIV) an ad plures litteras

---

[15]) Expertus sum et ipse id, quod Welckerus de se dixit (v. l. c. II p. 587): 'diese besonderen umstände sind mit den allgemeineren, woraus wir zuerst, und in der that noch ohne auf jene authentischen anzeichen und das übrige aufmerksam geworden zu sein, die gestaltung des werkes entwickelten, wohl zu verbinden.'

an ad omnes, an si hoc addere velis lege soluta fuerit, id nihil omnino refert ad hanc quaestionem, quae est de diversitate Pamphileae epitomes et *Περιεργοπενήτων*. [16]

Sed haec quidem hactenus de Pamphilo, nam plura adiungere non est opus, videamus nunc de Diogeniano, cuius de scriptis Suidas haec attulit: '*Διογενειανός . . . ἔστιν αὐτῷ βιβλία ταῦτα· Λέξις παντοδαπὴ κατὰ στοιχεῖον ἐν βιβλίοις έ· ἐπιτομὴ δέ ἐστι τῶν Παμφίλου λέξεων βιβλίων έ καὶ τετρακοσίων καὶ τῶν Ζωπυρίωνος. Ἐπιγραμμάτων Ἀνθολόγιον. Περὶ ποταμῶν, λιμνιῶν, κρηνῶν, ὀρῶν, ἀκρωρειῶν. Περὶ ποταμῶν κατὰ στοιχεῖον ἐπίτομον ἀναγραφήν. Συναγωγὴν καὶ πίνακα τῶν ἐν πάσῃ τῇ γῇ πόλεων. καὶ τὰ λοιπά.*' Eudocia haec (p. 133): '. . *βιβλία αὐτοῦ φέρονται λέξεις παντοδαπαὶ κατὰ στοιχεῖον ἐν βιβλίοις πέντε· ἐπιτομὴ τῶν Παμφίλου*' et q. s. Item Iulius Vestinus Pamphileum opus in summarium quatuor librorum coegerat, quamquam de horum numero nihil certi constat (v. M. Schm. l. c. p. LXXXIV sq).

Pamphilei autem operis libri cum ex rerum tractandarum varietate dispositi essent, cui glossae omnes et nomina subiuncta erant ad unam cuiusque vocabuli litteram aut ad plures aut ad omnes, etiam illi epitomarum confectores, cum eam librorum multitudinem ad commodiorem paucitatem redigerent, hanc operis institutionem imitati esse videntur, ita tamen ut quae Pamphilus genera et partes arte quadam et ratione distinxisse videtur, ipsi in locos paucissimos cogerent rerum communione quadam multo ampliore definitos. Ceterum Pamphili institutum optime illustratur et repraesentatur fere similitudine illorum indicum Hesychii copiosissimorum, quos M. Schmidtius singulari diligentia digessit socio huius laboris adsumpto Hugone Slevogto. Ei enim indices ducentas fere paginas conficiunt.

Sequitur, ut demonstremus illud, quod alterum erat propositum, Pamphili lexicon toto genere diversissimum a Diogenianeo illo fuisse, quod ab Hesychio propriis copiis auctum nunc manibus versamus. Quod duobus probatur argumentis. Unum, quod nunc significabo tantum, illud est, quod Pamphili lexico praeter nomina (*ὀνόματα*) vocabula partim rariora et difficiliora partim dialectica recepta erant, non vulgaria usitataque, id quod perspicuum est ex capite illo nono, quo M. Schmidtius de glossographis exposuit. Alterum ad ordinem lexici Diogenianei pertinet. Iam enim per se apparet Diogenianum, quoniam suum lexicon litterarum studiosorum cognitioni et subsidio in scriptoribus legendis utile esse instrumentum voluit, huius ipsius commodi causa alio ordine illud constrinxisse ac Pamphilum, ita ut non rerum tractandarum diversitatem, sed vocabulorum ordinem sequeretur. Quodsi hoc aliunde quoque firmari potuerit, dubitari amplius non licebit quin istud Pamphilei operis summarium, de quo supra dictum est, atque hoc eiusdem Diogeniani opus, quod Hesychii testimonio *Περιεργοπένητες* inscribitur, diversa fuerint. [17])

[16]) Rerum potius ordinem valuisse in Pamphileo glossario, quam litterarum iam Welckerus monuit (v. l. c. II p. 564 sq. 581—587, qui Pamphili *λειμῶνα* a Suida nominatum idem opus fuisse arbitratus est. M. Schmidtius quamquam 'glossarium et *λειμῶνα* diversos fuisse libros vel potius pratum onomasticorum in glossarium transfusorum summarium, confusaneae doctrinae ad materiarum ordinem quod attinet libertatem tenens' statuit (v. l. c. q. CLXXXVI), tamen et in prato, cuius ad exemplum Suetonium 'pratum' instituisse contendit (v. l. c.), et in glossario talem rerum ordinem Pamphilum tenuisse consentit.

[17]) Haec si vere intercesserit diversitas, in ea ipsa satis causae cuivis inesse videbitur, cur epitome Pamphilea quinque libris illa confecta a periergopenetibus separanda sit. Iam si haec quaestio integra esset ac non turbata opinionibus, id ipsum

Neque vero huic sententiae illud de Diogeniano testimonium quod extat apud Suidam, repugnat. Is enim scriptorum illius primo loco epitomen nominat, post separatas rerum collectiones, velut *περὶ ποταμῶν, συναγωγὴν καὶ πίνακα τῶν ἐν πάσῃ τῇ γῇ πόλεων*, quae ad res in isto opere *περὶ γλωσσῶν καὶ ὀνομάτων*, ut mihi videtur, non tractatas pertinebant et ordinem litterarum, non rerum sequebantur. Praeciditur ea enumeratio clausula *καὶ τὰ λοιπά*, in qua *Περιεργοπένητας* latere posse sane concedendum est.[18] Ac vere latere illum librum ea formula certum erit, si eam quam sequimur sententiam evicerimus, discernendam esse epitomen a periergopenetibus.

De Diogeniano vero qui gravissimus locus est, extat in epistula Hesychii hic: '*Διογενιανός δέ τις μετὰ τούτους γεγονώς. ἀνὴρ σπουδαῖος καὶ φιλόκαλος, τά τε προειρημένα βιβλία καὶ πάσας τὰς σποράδην παρὰ πᾶσι κειμένας λέξεις συναγαγών, ὁμοῦ πάσας καθ' ἕκαστον στοιχεῖον συντέθεικε· λέγω δὴ τάς τε Ὁμηρικὰς καὶ κωμικὰς καὶ τραγικάς, τάς τε παρὰ τοῖς λυρικοῖς καὶ παρὰ τοῖς ῥήτορσι κειμένας· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ (τὰς) παρὰ τοῖς ἰατροῖς τάς τε παρὰ τοῖς ἱστοριογράφοις. συλλήβδην δὲ ὁμοῦ οὐδεμίαν λέξιν ὥστε* παρέλιπε, οὔτε τῶν παλαιῶν οὔτε τῶν ἐπ' ἐκείνου γεγενημένων. προέθηκε δὲ κατ' ἀρχὴν ἑκάστης λέξεως τριῶν ἢ τεσσάρων στοιχείων τάξιν, ἵν' οὕτως εὐμαρεστέραν ἔχοι τὴν εὕρεσιν ἧς ἐπιζητεῖ τάξεως ὁ τοῖς βιβλίοις ἐντυγχάνειν προαιρούμενος. καὶ πρὸς τούτοις, ὅσας οἷός τε ἦν παροιμίας εὑρεῖν. οὐδὲ ταύτας παρέλιπεν, ἐπιγράψας τὰ βιβλία Περιεργοπένητας· καὶ ταύτῃ χρησάμενος τῇ διανοίᾳ· ἡγεῖτο γάρ, οἶμαι, μὴ μόνοις πλουσίοις, ἀλλὰ καὶ τοῖς πένησι τῶν ἀνθρώπων χρησιμεύσειν τε καὶ ἀντὶ διδασκάλων ἀρκέσειν αὐτά, εἰ μόνον περιεργασάμενοι πανταχόθεν ἀνευρεῖν ταῦτα δυνηθεῖεν καὶ ἐγκρατεῖς αὐτῶν γενέσθαι*' (M. Schm.).

Haec, quorum unum quidque nobis necesse est persequi, Rankius et M. Schmidtius ita acceperunt, ut non ad Diogenianum, de quo tamen intellegi voluit scriptor, sed ut ad Pamphilum

---

quod volumus ex Hesychii testimonio perspicuum esset. Neque enim dubium esse potest, quin hic periergopenetibus non rerum sed vocabulorum ordinem tribuerit. Recte igitur Welckerus postquam de lexicis in libros divisis exposuit, hoc contra Rankii sententiam conclusit (v. l. c. II p. 565): 'die einrichtung scheint demnach beide arbeiten des Diogenianos, die epitome des Pamphilos in fünf büchern und das von Hesychius beschriebene allgemeine lexikon, ohne büchereintheilung, eben so sehr unterschieden zu haben als die titel *παντοδαπαὶ λέξεις* und *περιεργοπένητες* verschieden sind. Nur die absicht war ähnlich, durch ein handbuch (ein *πρόχειρον μικρόν*) der größeren anzal derjenigen, die nicht die vielen spezialglossarien oder die vielen bücher der trift von Zopyrion und Pamphilos zu benutzen im stande waren, nützlich zu sein.' Attamen ut Rankii et M. Schmidtii opiniones evertantur, universa artis et generis, in quibus utrumque lexicon fuit, diversitas altius est persequenda ac plenius illustranda.

[18]) Welckerus idem iam vidit, sicut haec eius verba declarant: 'und ist es denn nur zu verwundern, wenn bei Suidas *οἱ Περιεργοπένητες*, ein für den schüler bestimmtes, den gelehrten nicht zureichendes, und eben darum ganz natürlich von ihnen weniger berucksichtigtes, vielleicht erst später seiner kürze und umfaszung wegen mehr hervorgezogenes handbuch unter den schriften des Diogenianos fehlt? Nicht im mindesten. Fügt doch Suidas selbst am schlusse des artikels bei *καὶ τὰ λοιπά*, und an vollständigkeit in aufzählung der schriften der grammatiker und der späteren schriftsteller überhaupt sind wir gar nicht gewöhnt' (v. l. c. II p. 566). M. H. E. Meierus hoc concedere noluit, sed (v. comment. Andoc. VI, 3 p. XIII n. 180) 'me quidem iudice' inquit 'credibilius est, ab Suida eiusdem operis si duplex fuit inscriptio, titulum unum commemorari, alterum omitti, quam operum duorum eo loco, ubi Diogeniani libros data opera recenset, illud neglegi, quod Diogenianus suo Marte condiderit, hoc vero non neglegi, in quo epitomatorem tantum se praebuerit.' At nihil haec valent contra id, quod de Suidae verbis poscitur. Incommode vero M. Schmidtius fecit, quod Suidae de Pamphilo et de Diogeniano testimonia nusquam integra transscripsit in quaestiones suas, ut lectores ipsi iudicare possent, ac ne tetigit quidem ea verba *καὶ τὰ λοιπά*.

potius referrent. At talis suspicionis causam in Diogeniano et in Hesychio nullam deprehendi posse ut iam supra explicatum est, ita cum quae ex verbis modo allatis pateant comparaverimus, ea ut nullo modo in Pamphilum cadere possint effectum erit.

Verum enim vero dissimilitudinem inter hoc Diogeniani et inter illud Pamphili opus fuisse, quanta maior ulla vix cogitari posset, equidem contendo. Ac si iam supra quaesivimus, quid contrarium esset illis *κατὰ στοιχεῖον* lexicis, quorum auctores partim nominantur partim formula *ἕτεροι τοιοῦτοι* comprehenduntur, idem in genere lexicorum et ratione, ad quam composita fuerint, et in consilio cui inservierint, ab alteris istis prorsus diversis ponendum esse facile apparebit. Duo omnino huius scientiae principiis quidem apud Graecos lexicorum primaria genera discernenda esse videntur, quorum in altero erant Aristophanis Byzantii *λέξεις*, sicut postea Pamphili *περὶ γλωσσῶν καὶ ὀνομάτων*, in altero Apollonii lexicon Homericum, sicut postea Diogeniani *Περιεργοπένητες*. Atque prius illud genus apte describitur his Nauckii verbis (v. Aristoph. Byz. fragm. p. 75. 76): 'duplicem capitum classem Aristophanes distinxit, quarum altera ex argumento singularum glossarum repetita esset rerumque sequeretur ordinem, altera ad topicam, ut ita dicam, pertineret descriptionem et quae singulis regionibus usurpata fuerint percensenda sibi deligeret. Utriusque tamen ordinis contigui sunt fines nec severe utique discreti, veluti aetatum et *συγγενείας* nomina perstringens simul tetigit Aristophanes insolentiores quasdam certarum regionum glossas, ac rursus in *Ἀττικαῖς λέξεσιν* interdum genera vocabulorum perstrinxit significatu inter se affinium . . . . In priore genere extant haec capita, primum *περὶ ὀνομασίας ἡλικιῶν*, deinde *Συγγενικά*, tum *Προςφωνήσεις*, denique *Βλασφημίαι*: in altero *Ἀττικαὶ λέξεις* et *Λακωνικαὶ γλῶσσαι*.'

Qui illius generis erant lexicographi, potius res spectabant, qui huius erant, in scriptorum vocabulis colligendis atque eorum variis significationibus explicandis versabantur; illi recondita grammaticorum studia respiciebant, hi lexica sua magis ad discentium usum necessitatemque conferebant; illi opera sua ad capitum distributionem pro rerum argumentis accommodabant, hi ordinem ipsius usus causa ad elementariam legem adstringebant. Id discrimen, quo quidem quam remotissime utrumque genus diiunctum esset, sane his quae modo utriusque generis propria dixi, constitutum est, sed cum in eo horum generum confinio, quod certarum quarundam vocum et rerum erat utrique communium, ex ipso usu media quaedam ac promiscua genera nascebantur, tum maxime per saecula p. Chr. n. litterarum studiis fractis ac deminutis priores eruditionis copiae in orbem angustiorem atque necessitati usus aptiorem coartabantur.

His expositis iam quid Pamphilus egerit, generatim compertum habemus, de Diogeniano autem expedita erit cognitio.

Is enim, ut erat *ἀνὴρ σπουδαῖος καὶ φιλότιμος*, ea *κατὰ στοιχεῖον* glossaria, quae separata erant, coniunxit, potissimum poetarum,[19]) quibus addidit *τὰς σποράδην παρὰ πᾶσι κειμένας*

---

[19]) Didymea igitur lexica et tragicum et comicum, quae Diogenianus suo receperat lexico, erant *λέξεις κατὰ στοιχεῖον*. De his quae fusius explicari opus est, cum M. Schmidtii Didymeae quaestiones repugnent, infra separatim collocasse in excursu commodius videtur.

λέξεις, id est, voces universas sparsim apud omnes extantes, ita ut omnes has copias instrueret secundum elementorum seriem ordinatas.[20])

Neque enim ulla dubitatio aut obscuritas est, qualem ordinem Diogeniani lexicon habuerit; is enim ὁμοῦ πάσας (sc. λέξεις) καθ' ἕκαστον στοιχεῖον συντέθεικε, id est, non ternis tantum aut quaternis litteris ordinem adstrinxit, sed omnibus cuiusque vocabuli elementis, plane ut nos in lexicis facere consuevimus. Porro sibi universo genere contraria sunt Pamphili et Diogeniani lexica. Igitur per τὰς σποράδην παρὰ πᾶσι κειμένας ea vocabula designari nonne putandum est, quae alterius generis ex operibus rerum potius ad rationes quam vocabulorum pertinentibus petita fuerint? Hoc sane cuipiam in mentem veniat, at non est ita.

Nam Hesychius quamquam hoc non plene indicat, quibusnam lexicis usus Diogenianus suo substruxerit fundamenta, Homericis tantum et tragicis et comicis nominatis, illud tamen grate commodeque definit, qualium auctorum vocabula collegerit Diogenianus. Sunt enim (λέγω δὴ et q. s.) Homeri, tragicorum, lyricorum, oratorum, medicorum, historicorum, nulla alia, dum concedatur Homeri nomine epicos poetas comprehendi, quorum complurium vocabula extant apud Hesychium, ac dumne offendatur in eo, quod Democriti nonnulla et Platonis vocabula occurrunt, quae tamen causam non praebuerunt, ut philosophorum quoque genus huic indici adderetur.[21]) Nam aut horum tantum auctorum voces Diogenianus collegit, aut de fide Hesychii est dubitandum.

Nec vero huius dubitationis ulla causa reperiri potest. Iam illud animadvertendum est, quod facile quemque probaturum esse confido, sicut Homeri vocabula Apio et Apollonius collegerint, sic aliorum quoque auctorum ex eo quem notaverit Hesychius numero complures grammaticos vocabula composuisse, quorum ex operibus suorum vocabulorum seriem ille coagmentaret. Atque illud certum est, Diogenianum non solum e lexicis eiusdem poetae aut scriptoris prosaici diversis, si qua essent, huius auctoris vocabula collegisse, sed auctorum vocabula etiam in partibus ampliorum operum quibusdam esse tractata, velut Alcmanis vocabula extiterunt inter Aristophanis λέξεις et maximam huius Λακωνικαῖς γλώσσαις praebuerunt materiem. Fontes igitur unde Diogenianus hauriret, erant partim separata in poetas et in scriptores lexica partim ampliorum operum partes singulares. Accessisse denique videntur glossae, quae cum dispersae essent, hinc et illinc coactae sunt, prout Digenianus in hoc illudve glossarium inciderat. Magnus sane numerus est eorum glossographorum, quorum notitiam ab Athenaeo habemus, per Pamphilum

---

[20]) Quae verba adhuc non recte intellecta sunt. Et Hemsterhusius repetitis πάσαις πᾶσι πάσας offensus correxit καὶ τὰς σποράδην παρ' ἄλλοις κειμένας λέξεις συναγαγών, quam correctionem temere factam Rankius iudicavit, 'ita enim scriptoris et consilium perverti et obscurari indolem' (v. l. c. p. 23 n. 4), nimirum ut hominis verbosioris. At hoc gratior nobis esse debet quae Rankio molesta erat ea repetitio, quo certius res confirmata est. M. Schmidtius quamquam recte haec verba vertit p. LXXXVI, tamen eis non recte usus est, cum ea sententia, quam Rankius praeierat, deceptus ut videtur seposito Diogeniano statim ad Pamphili fragmenta aliorumque glossographorum festinaret.

[21]) De his M. Schmidtius haec iudicat (v. l. c. p. CLXVIII sq): 'philosophicas glossas Hesychius in epistula non commemorat: ac recte quidem. Nam praeter Democritum audacem vocabulorum novatorem et Platonem non vidi alius philosophi glossas respectas. His vero cur locum concesserit, non latet. Neutri profecto ideo concessit, ne philosophi deessent, sed alteri quod peculiarem sibi stilum effinxerat, alteri quod orationem suam mirum quantum poeticis coloribus infucaverat, imprimis autem propterea, quod utriusque glossae dudum ab aliis collectae nullo negotio poterant transscribi.' Auctores glossarum indagavit in capite VIII p. CLV—CLXIX.

ad hunc traductam. Neque apud ceteros scriptores tam expeditus fuisse labor videtur, quem receperat Diogenianus, quam apud tragicos comicosque poetas, quorum vocabula congesta erant Didymi industria. Sed ut id subtilius cognoscatur, in quos auctores quisque grammaticus glossas scripserit, omnium glossographorum series inde ab Aristophane Byzantio usque ad Diogeniani aetatem persequenda est et ea, quae de illis explorari poterunt, cum Hesychio quam accuratissime comparanda sunt, qui labor inceptus demum, si recte sentio, a M. Schmidtio in capite IX multi erit sudoris.

Hoc vero constat, nullum recepisse Diogenianum vocabulum, quod non certam aliquam sedem in libro scriptoris alicuius haberet.[22] Videsne igitur, ut Diogenianus cum lexicis Apionis et Apollonii Homericis et cum lexicis Didymi et Theonis tragicis comicisque *πάσας τὰς σποράδην παρὰ πᾶσι κειμένας λέξεις* coniunxerit. Ac ne dubitaret Eulogius lectorve, quin plene opus institutum Diogenianus executus fuisset, Hesychius religiose addidit illum neque priorum neque suae aetatis quemquam glossographum ad hos scriptores pertinentem omisisse.

Laudabilis sane ea fuit opera et merito ab Hesychio laudatur. Diogenianum enim collegisse dicit Hesychius vocabula Homeri, poetarum comicorum tragicorumque, lyricorum, oratorum neque omisisse etiam medicorum et historicorum voces. Iam sic ille pergit: '*συλλήβδην δὲ ὁμοῦ οὐδεμίαν λέξιν ὥστε* * *παρέλιπεν οὔτε τῶν παλαιῶν οὔτε τῶν ἐπ' ἐκείνου γεγενημένων.* Unum igitur in locum Diogenianus coegit voces antea locis diversis dispersas.

In his verbis cum deesse aliquid videretur, ad quod *ὥστε* referretur, id ut suppleret ad marginem codicis adscripsit aliquis Musuro aetate prior *ἡμᾶς εἰδέναι.* Hanc coniecturam Rankius refutavit dicens, Hesychium de se cum loqueretur nusquam plurali numero uti; sed quod idem totam sententiam claudicare adiecit, quia scriptor paullo post se plurimas voces addidisse profiteretur (v. l. c. p. 23 n. 7), hoc quidem falso huc retulit, ut infra suo loco demonstrabitur. Sed quid? Hesychius nonne tum demum sic scribere potuit, si totum Diogeniani laborem repetierat? Debebat igitur per singulas litteras omnia glossaria ab illo adhibita cum illo Diogeniani opere denuo conferre et, si non scribenda erant, at tamen oculis omnia accurate ei lustranda erant vocabula, quod eum fecisse et per se vix est credibile et argumentis quibusdam infra erit infirmatum. Eisdem de causis Reiskii coniectura reicienda est *ὥς γε ἡμᾶς εἰδέναι*, in qua etiam illud offendit, quod quomodo ea lectio in vitiosum illud *ὥστε* abierit vix explicari potest. Neque quidquam melius praestare *ὡς εἰπεῖν* contra Rankium moneo. Is enim alteram utram proposuit coniecturam, aut *ὡς εἰπεῖν* scribendum esse censuit aut si hoc minus placeret vocem illam *ὥστε* prorsus deleri voluit, quod idem M. Schmidtius accepit. Nihil omnino ita res est expedita, sed latet aliquid.

Quocunque cogitatione te converteris, iam huic loco nullo modo satisfacere perspicuum erit,

---

[22]) 'Den besten theil, sagt Valckenaer (op. II p. 152), machen die andern glossen aus, beßer als der homerische, doch nur, wie er gleich darauf ausspricht, insofern als glossarien der andern art nicht erhalten sind' (Welck. l. c. II p. 571): 'Dictiones diversis Graeciae populis proprias in glossis explicuerant antiquissimi grammatici, non quasvis sine discrimine, ut plerumque videntur viri docti credidisse, sed illas duntaxat, quae a poetis aliisve, qui scripserant istis dialectis certis in locis operum suorum fuerant usurpatae' (Valcken. l. c. II p. 152 sq).

si Diogenianus nullum verbum praetermisisse dicatur, quod dudum Ruhnkenius contra Valckenarii petulantiam monuit,[23] innixus tamen falso argumento. Nec recta est haec interpretatio M. Schmidtii (v. l. c. p. XXIV): 'Hesychii locus sic capiendus est, ut ex eo intellegatur, nullum lexicon a Diogeniano esse praetermissum, vel veterum grammaticorum vel qui eius aetate vixissent, ex quo ille non sumserit aliquid suo modo, et in opus deduxerit suum. Fefellit viros eruditos vox *λέξις,* quae hic non vocabulum significat, sed lexicon, ut saepe apud grammaticos.'[24] At cum *οὐδεμίαν λέξιν* nulla sententiae alicuius alienae disiunctione cum priore illo *πάσας τὰς σποράδην παρὰ πᾶσι κειμένας* cohaereat, hoc quoque ad vocabula referatur necesse est. Quae cum ita sint, nonne illud probabile videtur, Hesychium hoc tantummodo dicere potuisse ac voluisse, Diogenianum id egisse ne quod derelinqueret vocabulum in istis lexicis extans sive eum consulto nullum omisisse? Commendationem igitur a sensu habere puto et a scriptura verisimilitudinem, si pro *ὥστε* reponitur *ἑκουσίως.* Atque hoc eo est veri similius Diogenianum in praefatione aliqua eam sibi voluntatem quidem fuisse professum esse, ut glossaria illa tota in suum lexicon transferret, quod inde ut alia sic hoc quoque Hesychius habuisse cognitum videtur.

Verba *ἐπ' ἐκείνου γεγενημένων* utrum de scriptoribus an de lexicographis dicta sint dubium visum est Rankio, qui cum primo Albertum et Ruhnkenium 'iure suo' de lexicographis illa verba interpretatos esse sensisset (v. l. c. p. 23 n. 8), post in corrigendis commutata ut videtur sententia 'iniuria' id factum esse significavit. De lexicographis M. Schmidtius (v. l. c. p. LXXXVI) accepit, qui Diogenianum 'universim vocem nullam aut veterem (veterum?) aut sibi coaetaneorum (glossarum) scriptorum praeterisse' interpretatus est. Lexicographos vero, non scriptores, intellegendos esse inde efficitur, quod duae classes per *οὔτε — οὔτε* comparantur, una *τῶν παλαιῶν,* id est, eorundem superiorum lexicographorum, qui initio epistulae significati sunt, altera *τῶν ἐπ' ἐκείνου γεγενημένων,* in quo genere ei erant qui post illorum gregem Diogeniani aequales extiterant.

Et quoniam si quid omnino certe illud in hac quaestione constat, id quod modo significatum est, Diogenianum lexici sui voces ad ordinem omnium cuiusque vocabuli

---

[23]) 'Diogenianum dicit universa collegisse in unam syllogen, tanta cum cura videlicet, ut nullum omiserit . . . Ista tam incredibilis diligentia videretur alicui nullius capax incrementi: verumtamen Noster multis eam parasangis superavit: ipse enim instructus lexicis (quae nunquam exstiterant) Aristarchi Apionis et Heliodori . . . . plurima etiam illorum observatis adiecit: *λέξιν μὲν,* ait, *οὐδεμίαν παρέλιπον κειμένην ἐν αὐτοῖς, ἀλλὰ καὶ πλείστας οὐχ εὑρὼν προστέθεικα.* Atqui supra dixerat, Diogenianum ne unicum quidem praetermisisse vocabulum, et hic tamen plurima sese adiecisse gloriatur' (Valcken. opusc. II p 160. 161). Ad haec enim Ruhnkenius: 'quae verba in eam partem accipiuntur a viris eruditis, ut Hesychius dicat, nullum vocabulum, quantum sibi constet, a Diogeniano esse praetermissum, neque veterum scriptorum neque aetatis suae. Quae si Hesychii mens fuit, profecto stupor eius excusari nulla ratione potest. Nam paulo post ait, se multas voces, quae in Diogeniano frustra quaererentur, adiecisse' (v. praef. p. XXIII sq apud M. Schm.). Quamquam haec additamenta ea tantum fuerunt, quae non ex istis separatis glossariis Hesychius sibi paraverat, sed ipse demum ex Homericis commentariis collegerat, ita ut Diogenianus ea vocabula omnino non posset habere, tamen recte id sensisse mihi videtur Ruhnkenius, quod supra probabili argumento aliquo confirmavi.

[24]) Non fefellit haec vox, ut cum M. Schmidtio dicam, Welckerum, qui haec protulit (v. l. c. II p. 573): 'so erklärt er . . vocabulum' . ., um den schreiber mit sich in den grellsten widerspruch zu setzen, obgleich er auf derselben seite selbst anführt *ὁ τὴν κωμικὴν λέξιν συναγαγών,* nach ganz gewöhnlichem gebrauche. Dionysius sagt z. b. *τροπικὴ λέξις,* Eugenios schrieb *παμμιγῆ λέξιν,* Helladios *λέξεως παντοίας χρῆσιν.* andere *συμμίκτην λέξιν* vgl. Ruhnk.' (p. XXI. XXIV apud M. Schm.)

litterarum collocasse, sane mirationem movebit illa quam Rankius excogitavit interpretatio horum epistulae verborum: 'προέθηκε δὲ κατ' ἀρχὴν ἑκάστης λέξεως τριῶν καὶ τεσσάρων στοιχείων τάξιν, ἵν' οὕτως εὐμαρεστέραν ἔχοι τὴν εὕρεσιν ἧς ἐπιζητεῖ τάξεως ὁ τοῖς βιβλίοις ἐντυγχάνειν προαιρούμενος'. Atque illud omnino eum, quem statim demonstrabo, errorem attulit, quod Rankius praeiudicata opinione aliqua eo deductus est, ut per τριῶν καὶ τεσσάρων στοιχείων incertum numerum ternorum vel quaternorum elementorum notari crederet, quod Diogenianus institutum trium vel quatuor elementorum ordinem ex rei usu variasset. Cui interpretationi cum particula καὶ repugnaret, Rankius ἤ correxit (v. c. l. p. 70), quem secuti sunt Bernhardyus (v. praef. Suid. p. XXXVI), Welckerus, M. Schmidtius. Hic enim totum locum sic vertit: 'eundem narrat (Hesychius) initio cuiusque vocis trium aut quatuor litterarum ordinem praeposuisse, ut qui libros eius legere vellet vocem quamlibet eo pacto facilius inveniret' (v. l. c. p. LXXXVI), alio loco cum exposuit Pamphilum primam tantum litteram in ordine vocum observasse, sic pergit: 'apparet, ut hoc etiam addam, Diogenianum non modo epitomes confectorem fuisse, sed etiam ordinis a Pamphilo instituti novatorem. Nimirum cum . . . difficiliorem fore glossarum sentiret inventionem, si primae tantum literae curarentur, optime sibi studiosorum commodo prospicere visus est materiam sic disponendo, ut praeter initialem glossarum literam etiam sequentium trium vel quatuor rationem haberet. Qui conatus an aequalibus laudabilis et gratiosus fuerit visus nescio, nobis profecto non arridet' (v. l. c. p. CLXXIV).

Neque haec vera sunt nec recte M. Schmidtius in his epistulae verbis: 'ἵν' οὕτως' et q. s. 'τὴν εὕρεσιν ἧς ἐπιζητεῖ τάξεως' de vocibus inveniendis interpretatus est. Debuit enim, si ita interpretari voluit, cum Hemsterhusio λέξεως scribere.

Quid plura? ea verba si arguta artificiosaque interpretatione remota sua vi accepta erunt, etiam planius indicabunt, qua ratione Diogenianus discentibus huius libri usum faciliorem et habiliorem reddiderit. Id quidem consilii fuisse verba ἵν' οὕτως et q. s. declarant. Is enim exposuit (προέθηκε) initio cuiusque λέξεως, id est, cuiusdam verborum seriei vel ut certius definiatur unius paginae seriei ternorum atque quaternorum elementorum indicem supra paginam aut ad marginem eius, velut hos *ΑΒΑ - ΑΒΑΔ, ΑΓΑ - ΑΓΑΥ*. Iam si singulas Diogenianei operis paginas tot continuisse vocabula sumimus, quot binae ternaeve editionis Ienensis paginae continent, exempli causa hi indices suis locis in illo opere expositi fuerunt.

ΑΡΓ — ΑΡΓΜ (cf. ἀργαλέη — ἄργματα I p. 272—274)
ΕΔΕ — ΕΔΡΥ (cf. ἐδείδιμεν — ἐδρύψατο II p. 15—17)
ΛΙΝ — ΛΙΣΚ (cf. λίνεον — λίσκος III p. 42—43)
ΣΚΥ — ΣΚΥΤ (cf. σκυβαλίζεται — σκυταλίδες IV p. 51—53).

Simile igitur aliquid a Diogeniano institutum est eius quod hodie in lexicis componendis fieri solet, ut primum ultimumque paginae cuiusque vocabulum supra ponantur, quo facilior sit eius verbi quod quis quaerat inventio horum terminorum cognitione.[25])

---

[25]) Quodsi iam negari debet id quod M. Schmidtius de ordine Diogeniani lexici sumpsit, etiam illa concidunt, quae hac ratione nituntur, velut quae disseruit p. LI. LII. LVII. CIV sq aliisque locis.

Huius instituti tantum fuisse adiumentum, quantum ad commodiorem eius lexici usum necessarium esset, iam apparebit. Nam etsi velut vocabulorum cum praepositione *περὶ* compositorum paullo maior copia lectori persequenda erat, tamen hoc tantillum incommodi rarius occurrebat, nec minus facile erat, si id occurrebat, ordinem alphabeticum verborum persequi usque ad locum eius quod quaerebatur vocabuli, quam alibi velut in his vocabulis, quae praepositionibus **ΑΠΟ ΥΠΟ ΕΠΙ** coniuncta erant.

Quid censes, si a Diogeniano, id quod isti volunt, series vocabulorum ad tres tantum vel quatuor literas observata fuisset, eius lexici usum nonne desperatum prope molestiis usque recurrentibus futurum fuisse? Si quis quaerere in hoc voluisset vocabulum *περιαδεῖς* (cf. gl. 1569 III p. 309), fieri poterat, ut, cum fors usui obesset, in hac tam varia ludificandi lectorem causa, omnia vocabula, quae inde a *περιαθρεῖν* usque ad *περιῶσιν* posita sunt in editione Ienensi (p. 309—323), quadringenta fere numero, recognoscere cogeretur. Atque maior etiam molestia oriebatur, ubi non ad quatuor literas sed ad tres tantum ordo erat instructus.

Ratio vero huius consilii, *ἵν' οὕτως εὐμαρεστέραν ἔχοι τὴν εὕρεσιν ἧς ἐπιζητεῖ τάξεως ὁ τοῖς βιβλίοις ἐντυγχάνειν προαιρούμενος*. illustris erit, cum eorum meminerimus, quae nos ipsi facere consuevimus, si locum aliquem Forcelliniani aut Stephani thesauri quaerimus. Eos enim sequimur literarum in summa pagina ordines, intra quos suo quodque vocabulum loco collocatum esse debet, quos ordines Hesychius per *τάξεις* significavit. Plurali autem numero *τοῖς βιβλίοις* de uno lexico per litterarum seriem, non per capita rerumque argumenta digesto usus est eodem modo, quo in extrema epistula *χρήσασθαι τοῖς βιβλίοις* dicit. Neque supervacanea est ea adnotatio, cum M. Schmidtius de numero quodam *τῶν βιβλίων* Hesychii doctius quam verius haec addiderit: 'quae ni fallor quinque fuerunt' (v. l. c. p. CXXXI). Apertum est quid hac coniectura egerit. Hesychii enim lexicon ab hoc viro ad Diogeniani epitomen, quae quinque libros habebat, revocari supra vidimus.

Iam non solum illorum glossariorum vocabula in unum locum Diogenianus coegit, sed '*καὶ πρὸς τούτοις ὅσας οἷός τε ἦν παροιμίας εὑρεῖν οὐδὲ ταύτας παρέλιπεν, ἐπιγράψας τὰ βιβλία* ***Περιεργοπένητας*** i. e. 'studiosos pauperes', cuius inscriptionis quae notio esset, cum a Rankio non recte esset explicatum (v. l. c. p. 30—33. 127), Welckerus vere docuit e grammaticis verborum componendorum legibus (v. l. c. II p. 548 sq).[26])

Hunc librum cur ita inscripserit Diogenianus, Hesychii ipsa verba aperiunt, quae afferri non opus est. Hoc autem opus ad poetarum potissimum lectionem in usum pauperum studiosorum eorum, qui magistro carerent, Diogenianum instituisse ex Hesychii epistula novimus.

[26]) 'In dem titel ***Περιεργοπένητες*** . . versteht der verf. *περιέργον πένητες*, rerum supervacuarum pauperes, die auslaßung des überflüßigen (p. 127), und stellt dabei ein beispiel gelehrter *περιεργία* dieser art auf, an die bei dem titel selbst so gewiss nicht zu denken ist, als dieser einfach und sachgemäß ausdrückt der fleißige arme, (Apion wird *περιεργότατος γραμματικῶν* von Afrikanus bei Eusebius pr. ev. X genannt. Periergia nebst Agrypnia, magd der Philologia, Mart. Cap. de nupt. 2, 3, 1. 2, 7, 4) der arme studirende, und dahin von Hesychius selbst auf das befriedigendste erklärt wird (die Marucelliana in Florenz hat die überschrift: publicae et maxime pauperum utilitati). Aehnlich ist der titel von dem verlorenen werke des Longin *οἱ Φιλόλογοι*, womit Ruhnken in der diss. de Longino § 10 den Varronischen Loghistorici und des Hierokles buch *Φιλίστορες* zusammenstellt. Auch *Δειπνοσοφισταί* ist ein wiewol nicht ganz ähnlicher titel . . . Viele composita verbinden subiekt und prädikat, wie . . .'

Et poeticum maxime id lexicon fuisse Photii testimoniis confirmatur, quae ut hoc loco repetam (cf. M. Schm. l. c. p. CLV sq) eorum ipsa moveor gravitate. Photius enim de glossario Helladii haec dicit: 'πεζοῦ λόγου ἐστὶ τὸ πλεῖστον τῶν λέξεων. ἀλλ' οὐχὶ ποιητικοῦ, ὥσπερ ἡ Διογενιανῷ ἐκπονηθεῖσα συλλογή. οὐδὲ κατὰ πάσας τὰς συλλαβὰς τὴν τοῦ στοιχείου τάξιν φυλάττει. ἀλλὰ κατὰ μόνην τὴν ἄρχουσαν' (cod. CXLV p. 99 a 4 ed. Bekk.). Hinc quoque apparet Diogenianum ad litteras accurate ordinem exegisse.[27] Deinde de Pollionis lexico haec: 'ἔχειν πλείστας μὲν ποιητικὰς λέξεις, ἧττον δὲ Διογενιανοῦ' (cod. CXLIX) et in praefatione (p. 2, 1): 'αἱ τῶν λέξεων πλείους, περὶ ἃς τὸ ποιητικὸν νέμεται ἔθνος. εἰς τὸ ὠφελιμώτατον τοῖς βουλομένοις προσέχειν, Διογενιανῷ συνελέγησαν· εἰ γὰρ καὶ πολλοῖς ἄλλοις ἐπὶ νοῦν ἧκεν ἴσην καὶ ὁμοίαν πραγματείαν ἐνστήσασθαι, ἀλλ' οὖν, ὅσαγε ἐμὲ εἰδέναι, οὐδενὶ τῶν πρωτείων οὗτος περί γε τὸν εἰρημένον πόνον ἐξίσταται'. Nemini igitur dubium esse potest, quin Photius et Hesychius de eodem Diogeniani opere loquantur, quod maxime ad poetas pertinuerit.[28] Nec ultro Pamphilum Photius commemoravit neque cum Diogenianeum glossarium ut maxime illud poeticum aliis glossariis conferret, quidquam causae fuisse existimandum est, ut illius mentionem interponeret. Quam diversitatem utriusque operis cum in concinnandi modo tum in ratione vocabulorum colligendorum positam fuisse, eius rei sunt certa ac firma argumenta.

Ac primum quidem diversissimum fuisse ordinem Pamphilei operis et huius poetici Diogeniani glossarii nunc exploratum habemus, Pamphilei autem operis summarium, quod in quinque libros conclusum erat a Diogeniano, partim rerum partim vocabulorum sive litterarum ordinem secutus est, ut rerum tamen ordo praeponderaret et dominaretur in totius operis divisione;[29] igitur ne Photii quidem verbis haec epitome notatur. Sed cum haec pateant neque ea denuo explicari opus sit, videamus nunc, id quod leviter tantummodo supra attigimus, qualia fuerint et illa vocabula a Pamphilo collecta, post a Diogeniano in epitomen redacta et haec poetico eiusdem Diogeniani glossario recepta vocabula.

Iam ut ponam illud, ex quo haec quaestio tota pendeat, quaero num Diogenianus, si Pamphilei operis glossas nominaque exempta capitum rerumque divisione ad litterarum ordinem collocaverit, ad idem quod eum spectasse scimus perventurus fuerit.

---

[27]) Quamquam Welckerus (v. l. c. II p. 557) nescio quo pacto hic quoque alterum illum ordinem indicatum existimabat.

[28]) De postremo Photianae praefationis loco haec addidit Welckerus (l. c. II p. 557): 'nachdem der verf. nun seinen eignen plan auseinandergesetzt, wobei er die dichterworte nicht gänzlich ausschließt, fügt er ohne zweifel mit bezug auf Diogenianos hinzu: ἐπεὶ μηδ' ὅσαι ταύτας συνειλόχασι τῶν ἁρμοζόντων τῇ χωρὶς μέτρου φράσει παντελῶς ἀπέσχοντο . . . Dieß nun ist ungefähr das verhältnis, worin wir im Hesychius die prosaischen glossen, aus Hippokrates, aus den philosophen, geschichtsschreibern und rednern zu der fülle der poetischen aus den lyrischen, tragischen und komischen dichtern (die drei tragiker und Aristophanes nach dem maße, das sie bei den grammatikern gegen ihre kunstgenossen behaupten) und aus Homer insbesondere antreffen. Sed haec pauca sunt et nihil ad largissimam illam poeticorum vocabulorum copiam, sagt Ruhnken (p. XXIII ed. M. Schm.) von den prosaischen. Auch dieß deutet Hesychius ehrlich an durch den übergang: οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὰς παρὰ τοῖς ἰατροῖς τάς τε παρὰ τοῖς ἱστοριογράφοις.'

[29]) Epitome enim appellatur a Suida et Eudocia λέξις παντοδαπὴ κατὰ στοιχεῖον, cuius de nomine infra in Didymeo excursu dicam.

Pamphilus vero quales rationes secutus fuerit, primum ex Athenaeo cognoscetur, apud quem satis magno numero locorum, qui inde ex illo lexico excerpti sunt, Pamphili auctoritas adiuncta est. In his ut usus eorum, de quibus exponitur, vocabulorum illustretur, saepius poetarum loci afferuntur, deinde Pamphili nomine saepissime superiorum grammaticorum nomina coniuncta sunt, quorum ex libris ea vocabula Pamphilum petisse hac ratione aperitur. Ita hausisse eum cognoscitur unam copiarum suarum partem e glossariis laconicis, italicis aliisque, alteram e nominum collectionibus, in quibus velut hi afferuntur auctores: Iatrocles *ἐν ἀρτοποιικῷ*, Artemidorus *ἐν ταῖς ἐπιγραφομέναις ὀψαρτυτικαῖς γλώσσαις* aliorumque, quos videmus non tam glossas quam rerum nomina ad quodque vitae consuetudinisque genus pertinentia conquisivisse. Ea Pamphili fragmenta post Rankium M. Schmidtius l. c. p. LXI—LXIX collegit.

Quodsi aliis locis ab Athenaeo aut eadem aut alia glossaria ex utroque genere similia testimonii causa citantur Pamphilo non commemorato, ex illorum locorum similitudine hoc tamen constat, Athenaeum has grammaticorum auctoritates cognitas habuisse non ex ipsis horum scriptis, sed ex eodem Pamphilo, qui illorum quaecunque glossaria commoda viderentur, in usum suum converteret nominibus tamen grammaticorum plerumque certe servatis. Ita augetur eorum fontium, unde Pamphilus hauserit, notitia. His supplementa quaedam Hesychius addit, qui eosdem, quos Athenaeus, scriptores glossarum nominumque affert, saepius vero alios eosque novos ab Athenaeo non nominatos excitat, ita ut inde tabulae conficiantur et eorum qui *γλώσσας* aut *λέξεις* et eorum qui onomastica scripserunt. In illo glossariorum numero sunt *γλῶσσαι Λακωνικαί* et *λέξεις Ἀττικαὶ* Aristophanis, *γλῶσσαι Κρητικαί* Hermonactis, *γλῶσσαι Μακεδονικαί* Ameriae et Timachidae, *γλῶσσαι Ἰταλικαί* Diodori aliaque (cf. M. Schm. l. c. p. CLXXI), in hoc memorantur Epaenetus *ἐν ὀψαρτυτικῷ*, Aristophanes Byzantius *περὶ ὀνομασίας ἡλικιῶν*, *περὶ βλασφημιῶν*, etiam opera *ἱερατικά*, *θυτικά* aliaque (cf. l. c.).

Iam si illis hoc propositum fuisse videmus, ut in lexica sua congererent graviores glossas, e dialectis petitas, rariores et obscuriores locutiones, vocabula ab usitato more vulgarique sermonis consuetudine longius abhorrentia, tum voces sua vi et rerum, quas notabant, argumentis memorabiles, hoc sane institutum ab nostro huius aetatis usu, quem quidem plerumque teneamus, plane distat. Horum enim generum vocabula nominaque quamquam nemo lexicographus opere suo non recipit, tamen ut tritae quoque pervulgataeque voces ibidem inveniantur, discentium necessitate postulatur. Ac vulgares voces locutionesque Diogenianum, quippe qui pauperibus studiosis prospiceret, recepisse, cuivis ante oculos erit, qui Hesychii complures hic illic paginas inspexerit et decurrerit. Pamphilei igitur lexici doctrinae antiquae solidaeque divitiis abundantissimi quae ratio fuerit et prope ars, cum iam si non plena descriptio et cognitio, at notio tamen aliqua sit: manifestum est illud opus, quo perdito magnam nos iacturam fecimus, et plura quam Diogeniani continuisse et pauciora, plura, quia Pamphilus ampliore ductus consilio, quam quo Diogenianus usus est, et plurium scriptorum et plurium glossographorum vocabula nominaque collegerat, contra pauciora, quia Diogenianus pro sui consilii ratione angustioribus se continuit finibus multaque tamen recepit, quae illi vilia et inutilia visa fuisse necesse est. Adde quod multa *ὀνόματα*, quae Pamphilus amplexus erat, petita fuisse ex operibus videntur, quae de

antiquitatibus erant et de moribus, non ex numero eorum scriptorum aut poetarum, quos classicos fere dixerim.

Nonne igitur perspicuum est, quo iure hoc Diogeniani lexicon a Photio maxime poeticum vocari potuerit, quae eadem appellatio in Pamphili opus non conveniat. Apparet nunc et extat illud, quod supra proposuimus, Hesychium etiam cupientem Pamphili copiis suum lexicon nunquam effecturum fuisse. Porro quis fateri dubitet Hesychium optimo suo iure Diogeniani opus ut primum in hoc lexicorum genere idemque utilissimum laudasse, sine ulla voluntate Pamphili meritis detrectandi, neque omnino id effici posse nec consequens esse patebit, quod Rankius et M. Schmidtius concludere voluerint, inde quod Pamphili nomen celatum sit. Nihil igitur causae relictum est, cur ea quae de Diogeniano Hesychius dixerit, ad Pamphilum potius referenda esse arbitremur; immo ipsius Diogeniani totum hoc opus faciendum est.[30]

Si id quod voluimus evicisse recte videmur de diversitate epitomes et Periergopenetum, etiam illud quod adhuc relictum est, paucis transigetur, ut loci qui cum Diogeniani nomine afferuntur, cum Hesychio comparentur. Nulla eius operis inscriptio vel potius eorum operum, unde illi loci excerpti sunt, nominatur neque epitomes sive *παντοδαπῆς λέξεως* neque ***Περιεργοπενήτων***, nulla inquam si unus locus excipitur, quem statim afferam. Iam illud est perspicuum, si qui loci Diogeniani ad verbum extent apud Hesychium, velut Photiani lexici p. 5, 4 (= fragm. 1 Schm.), tunc ***Περιεργοπένητας*** subesse, sin loci allati magna ex parte cum Hesychio rebus concinant, verbis plus minusve discrepent, ea quae non sint congruentia partim ipsa origine diversa esse partim aut immutata esse excerpentium manu, ut fieri solet, aut in explicationibus quorundam verborum (maxime *πολυσήμων* et *ἀσαφῶν*) per Hesychium aucta esse, quod ipse in epistula narrat. Sin vero quae Diogenianea sunt, non extant apud Hesychium, ea non e Periergopenetibus petita esse certum est. Fragmenta ea Diogeniani collegerunt Rankius (l. c. p. 34—50) et M. Schmidtius (l. c. p. LXXXVI—XC). His igitur quae per se levia fortasse M. Schmidtio videbantur argumentis, cum ea prioribus et gravioribus accedant, item sententia nostra stabilitur. Has eorum fragmentorum rationes hunc neglexisse sane mirandum est in eo Diogeniani loco, cui additum est '*ἐκ τῶν Διογενιανοῦ τῆς ἐπιτομῆς* ***Ἑλληνικῶν ὀνομάτων***' in scholio BL ad Homeri Il. ***E*** 576 (cf. Rank. l. c. p. 128. M. Schm. l. c. p. LXXXV). Hic enim non est in Hesychii lexico.[31]

---

[30] Primus epitomen a Periergopenetibus separavit Valckenarius (v. l. c. II p. 161 sq), qui recte sensit, perverso tamen argumento hoc collegit (cf. Welck. l. c. II p. 573. 574). Quam sententiam deinde Ruhnkenius confirmavit, quamquam paullulum dubius, cuius verba digna sunt quae legantur (cf. praef. p. XXII sq ed. Schm.).

[31] cf. Welckeri verba (l. c. II p. 579): 'In dieser annahme (diversam esse epitomen a Periergopenetibus) bietet sich zugleich die leichteste erklärung dar für alles, was als Diogenianisch angeführt wird ohne bei Hesychius sich zu finden. Dieß aber bitten wir im verhältnis zu der nicht allzugroßen anzal der stellen, wo überhaupt Diogenianos angeführt wird, zu betrachten, um zu ermessen, wie sehr beträchtlich danach die differenz wohl sein würde, wenn wir deren sehr viele statt der bloß zufälligen überreste vor augen hätten.' Hanc difficultatem, quae obstat Rankii et M. Schmidtii sententiae, ille probe sensit et removere conatus est. 'In tantam' inquit (v. l. c. p 128) 'difficultatem proicior, ut me desperasse interdum confitear', et 'en! hic clare memoratam Diogeniani epitomen lexici! Noverat id iam Ruhnkenius neque tamen magni fecit, sed securus neglexit, alium opinatus librum indicari et ab Hesychiano lexico omnino diversum. Nos non tam celeriter, absolvimus reperta' quibus addidit haec, ut hoc tam molestum testimonium dissolveret (l. c. p. 130 sq): 'id vero ipsum quod in Hesychio non re-

Nec ea quae ad Hesychii et Pamphili comparationem pertinent (cf. Rank. p. 72—119. M. Schm. p. LXI—LXIX), alia norma sunt dirigenda, quam qua in Diogenianeis cum Hesychianis conferendis usi sumus. Loci autem Pamphilei glossarii, qui omnes uno excepto a solo Athenaeo servati sunt, pariter atque illi Diogenianei triplicem habent speciem. Nam eorum una pars rebus verbisque simillima est Hesychianis, cum vel interpretationum, quae vocibus appositae sunt, conformatio in his astrictior contractiorque sit quam in illis vel omissae sint eae interpretationes ac testimonia, quae in excerpendo deleri solent; altera pars dissimilis est aut glossarum quae explicantur forma aut ipsa explicatione paullulum variata; denique non parvus numerus, qui ex quarta prope parte aestimari potest, ab Hesychio omnino abest (v. Welcker. l. c. II p. 584).

Iam etiamsi epitome Pamphilea Hesychiano lexico subiecta esset, tamen omnia vocabula, quae a Pamphilo tractata essent, etiam epitome recepta esse iniuria conclusisse Rankium a Welckero demonstratum est.[32])

At epitomen et Periergopenetas non unum idemque opus fuisse, hoc vere demonstravisse mihi videor, cui sententiae prorsus convenit ea diversitas, quae inter locos est Pamphileos et inter Hesychianos.[33]) Sed cum praeter diversitatem etiam similitudo quaedam eorum locorum, qui Pamphilei glossarii fuisse referuntur, cum Hesychianis intercedat, reliquum est, ut quaeramus, num cum probabilitate aliqua illud saltem dici possit, Diogenianum separatis illis glossariis fundamenti loco constitutis postea eam collectionem nova supellectile auxisse aut ex epitome Pamphilea ab ipso iam ante confecta aut ex ipso *περὶ γλωσσῶν καὶ ὀνομάτων* opere petita.

---

peritur, non mirum est, quia s. v. *τάλαντον* (de hoc enim ibi agitur), omissis testium nominibus, de varia vocis *τάλαντον* notione non accurate disputavit. Itaque hoc quoque testimonio esse potest, Diogenianum non ipsum condidisse lexicon, sed excerpsisse tantummodo Pamphili libros.' Quid de his iudicaverit Welckerus, vide l. c. II p. 580 sq. M. Schmidtius simpliciter hunc locum ad Pamphilum pertinere negat l. c. Addo haec Welckeri (l. c. II p. 582), quorum de ratione nonnulla monebuntur in comparatione Pamphili et Hesychii: 'ein großer theil aller *λέξεις* muß in beiden büchern sich wiederholt haben, sodaß gar manche hier oder dort vorkommende Diogenianische *λέξις*, die sich im Hesychius findet, doch aus der Epitome des Pamphilos gefloßen sein kann.'

[32]) His verbis (l. c. II p. 583 sq): 'alles also, was Athenäus aus Pamphilos anführt, dessen vollständiges werk er ohne zweifel, wenn er nicht als ein geck ihn selbst statt der epitome nennt, benutzte, während er den Diogenianos gar nicht nennt, und was aus Pamphilos unmittelbar in andere schriften übergegangen, kann wohl, muß aber nicht auch in der epitome vorgekommen sein und so den namen des Diogenianos angenommen haben. Hätte der verf. dieß erwogen oder gelten laßen, wie es doch kaum abzuweisen ist, da wir eine vorrede der epitome, ein versprechen der vollständigkeit in den wörtern oder den erklärungen von dem epitomator nicht haben, so hätte die ganze bemühung den Pamphilos mit Hesychius künstlich in übereinstimmung zu bringen, wo er es nicht gerade ist, erspart werden können und es war genug die vergleichung durchzuführen, um zu sehen, wie sich der eine zum andern verhalte und etwa in dem häufigen zusammentreffen eine bestätigung im ganzen, oder auch für den Diogenianos des Hesychius aus der quelle desselben erläuterungen im einzelnen aufzusuchen . . . Wie können doch die fragmente des Pamphilos für den auszug des Diogenianos, von dem wir nicht wißen, wie er sich zu dem großen originalwerke verhielt, das beweisen, daß dieser auszug vollständig im Hesychius enthalten sei?'

[33]) Quantum ea valeat ad demonstrandum id quod antea persecuti sumus, optime diiudicavit Welckerus (l. c. II p. 584): 'umgekehrt aber können glossen des Pamphilos, wenn deren viele, viele für eine zufällige probe des verhältnisses, worin Pamphilos und mit ihm die epitome des Diogenianos zu Hesychius stehe, vorkommen, die in diesem nicht sind, beweisen oder wahrscheinlich machen, daß Hesychius nicht die epitome, sondern das lexikon für unbemittelte abschrieb, und insbesondere scheint es, daß die verschiedenheit in der form der *λέξεις* bei Pamphilos und bei Hesychius oder kleine eigenthümlichkeiten der erklärung bei diesem hier beachtung verdienen.'

Ac primum quidem Periergopenetibus prior fuerit tempore an posterior epitome nec constat nec diiudicari poterit. Atque ut iam ad ea veniamus, quae Diogenianus a Pamphilo mutuari ne potuit quidem, duae res cum veritate afferri possunt. Addidit ille non e Pamphilo, sed aut aliunde aut suo ipsius apparatu instructus nomina geographica, id est, fluviorum, lacuum, fontium, montium, promontoriorum, urbium. Neque enim scripsisset '*περὶ ποταμῶν, λιμνῶν, κρηνῶν, ὀρῶν, ἀκρωρειῶν*', deinde '*περὶ ποταμῶν κατὰ στοιχεῖον ἐπίτομον ἀναγραφήν, συναγωγὴν καὶ πίνακα τῶν ἐν πάσῃ τῇ γῇ πόλεων*', nisi hos locos Pamphilus suo opere intactos reliquisset.

Deinde eum ab illo non desumpsisse proverbia, recte iam vidit Rankius. M. Schmidtius, cui totus Hesychius fere nihil videtur esse nisi Pamphilus brevior, proverbia quoque ad illum retulit nec tamen Pamphilum proverbia scripsisse probari poterit. 'Nam neque in inscriptione' inquit Rankius (l. c. p. 133) 'operis *περὶ γλωσσῶν* (*καὶ ὀνομάτων*) aliquid inest de proverbiis neque apud Athenaeum neque apud alium scriptorem inter paroemiographos Pamphili nomen apparet', cui assensus est Welckerus (l. c. II p. 587. 589).

Pamphili lexicon et plura et pauciora continuisse quam Diogenianeum Hesychii lexicon iam supra dictum est; Diogenianus igitur Pamphili opibus suum ne potuit quidem condere. Et cum credi debeat, eorum scriptorum, quorum lectioni discentibus subsidium praebere Diogenianus vellet, lexica extitisse et separata *κατὰ στοιχεῖον* et amplioribus operibus inserta; porro cum opus suum ad necessarium angustumque pauperum studiosorum usum totum conferret, quidnam fuit, cur Diogenianus verbi causa cum glossam *Θηρίκλειος* in lexicon suum transferret (fr. X cf. M. Schm. l. c. p. LXII—LXV), eam ex Pamphili lexico erueret? Is enim hoc nomen reposuerat inter pocula et addiderat multa de huius poculi specie et de vocabuli ipsius origine adiunctis grammaticorum sententiis et scenicorum poetarum locis, Didymus autem, a quo Pamphilus hoc vocabulum accepisse videtur, lexico comico *κατὰ στοιχεῖον* hanc vocem inter ceteras suo loco receperat. Quid superest in lexico Hesychiano? Nihil nisi haec: *Θηρίκλειος· κυλίκων εἶδος. ἀπὸ Θηρικλέους κεραμέως.* Copiosissima Pamphili explicatio nobis quidem summi est pretii propter locos poetarum perditorum allatos, sed ad institutum Diogeniano Pamphilum consuluisse nihil profuit; Didymum Diogenianus adhibuit copiis non necessariis, si quae erant, dimissis. Neque a Pamphilo vocem Epicharmi Sophronisque '*ἡμίνα*' petiit (fr. VIII cf. l. c. p. LXII), sed ex horum poetarum glossario aliquo vel Diodori vel Heracliti.

Indidem, quod eisdem cum Pamphilo fontibus Diogenianus quin uteretur facere non potuit, similitudines, quas inter utrumque obtinere diximus, facillime ducuntur. Quod eo certius est, quia una cum Pamphilo auctore huius ipsius fontes passim ab Athenaeo nominantur, quos Diogeniano quoque praesto fuisse cum huius instituto verisimile est, tum Hesychianorum, quae extant, testimoniorum comparatione apparet (cf. M. Schm. p. LXIX sq. LXXXIII sq). Ita citantur priores glossographi in Pamphili fragmentis XVIII. XXI. XXXIII. (M. Schm.) aliisque. Videmus etiam in fragmento XIX. eam interpretationem, quam ipse Pamphilus reiecerat, Diogeniano placuisse.

Nulla vero res necessario cogit, ut Diogenianum existimemus aut Pamphili libro aut epitome ipsius aut Vestini in Periergopenetibus instruendis usum esse.[34]) Nam inutilis fuit haec via neque accommodata ad Diogeniani consilium neque etiam commodior. Sed Diogenianum sibi ipsum hoc tanquam interdixisse, ne Pamphili lexicon ne passim quidem inspiceret, aut hoc facere universa ratione vetitum fuisse quis contendere audeat? Tamen non necesse fuit isto opere uti.[35])

Omninoque id, quod caput est huius quaestionis, utriusque libri et Pamphilei et Diogenianei suam fuisse propriam rationem atque utilitatem neque alterum utrum supervacaneum fuisse iam apparebit.[36]) Priore igitur epistulae parte enarrata, quae est de origine Diogonianei lexici, cui nomen est ***Περιεργοπένητες***, restat ut videamus, quomodo Hesychius id adornaverit, ut discentibus utile pararet subsidium in legendis scriptoribus.

Ἐπαινῶ μὲν ἔγωγε, inquit, *τὸν ἄνδρα καὶ τῆς φιλοκαλίας καὶ τῆς σπουδῆς, ὅτι χρησιμωτάτην πραγματείαν καὶ τοῖς σπουδαίοις τῶν φιλολόγων ὠφελιμωτάτην χορηγίαν πρὸς ἅπασαν παιδείαν προείλετο παρέχειν. ἐβουλόμην δὲ αὐτὸν μήτε τὰς πλείους τῶν παροιμιῶν ψιλῶς καὶ ἄνευ τῶν ὑποθέσεων τεθεικέναι, μήτε τὰς ἐζητημένας τῶν λέξεων οὐκ ἐχούσας τά τε τῶν κεχρημένων ὀνόματα, καὶ τὰς τῶν βιβλίων ἐπιγραφάς, ἔνθα φέρονται, τάς τε πολυσήμους αὐτῶν παραδραμεῖν καὶ ἀσαφεῖς παραλιπεῖν. δέον δὲ καὶ ἐν ταύταις ἑκάστης διαφόρου διανοίας τὴν παράστασιν ἀπὸ τῆς τῶν χρησαμένων μνήμης παρασχεῖν.* 'Mea quidem' inquit Rankius 'si vera est sententia, Hesychius duo reprehendit, primum quod Diogenianus proverbiorum argumenta omiserit, deinde voces et insolenter adhibitas, et multa significantes leviter attigerit et obscuras reliquerit' (l. c. p. 25 n. 14), quocum consentit M. Schmidtii interpretatio haec: 'sunt tamen etiam quae vituperaverit: nimirum vocibus dubiis[37]) neque apposuerat nomina eorum, qui iis

---

[34]) Adde haec Welckeri verba (l. c. II p. 588): 'daß Diogenianos auch bei dem allgemeinen lexikon den Pamphilos mit benutzt habe, ist nicht gerade wahrscheinlich, da die besonderen, wenigstens zum großen theil späteren und darum auch wohl reicheren homerischen, tragischen, komischen und andern glossarien zu seinem zwecke zureichen musten. Doch ist es auch nicht undenkbar, da das werk ihm besonders vertraut gewesen sein muß. Ein guter theil der aus Pamphilos erhaltenen glossen gehört zur komödie; bei Hesychius finden sie sich bis auf wenige ausnahmen, viele mit denselben citaten der dichter oder stellen. Hatte nun Hesychius die epitome selbst zur hand, so konnte er darin diese citate aufsuchen; aber sie konnten auch alle ohne ausnahme in den komischen glossarien von Didymos und Theon, aus denen Diogenianos im lexikon geschöpft hatte, sich ebenfalls finden.'

[35]) Erravit Rankius (in encyclop. Hal. s. v. Pamphilos p. 243): 'gesetzt aber auch Welckers ansicht wäre die richtige, so würde ein eigenes werk der art von Diogenian nach jenem auszuge ausgearbeitet doch zuletzt auf der grundlage des lexikons des Pamphilos aufgebaut und im ganzen und großen dasselbe enthalten haben'; nam hic iterum ad Pamphilum rem retulit, non ad ea glossaria, quae communia erant Pamphili et Diogeniani.

[36]) Conferantur ea quae Welckerus (l. c. II p. 588) peroravit post disputationem suam de hac diversitate epitomes et Periergopenetum: 'so halten wir es gerechtfertigt, wenn wir den ganzen beweis aus Athenäos, daß der Hesychische Diogenianos den auszug aus Pamphilos enthalte, welcher dem verf. klarer als das licht der sonne dünkt, ablehnen. Die frage: 'credisne Diogenianum, opera Pamphili neglecta, improbum istum laborem ultro suscepisse lexica inspiciendi vetera et inutilia scituque haud digna excerpsisse? Credat Iudaeus Apella! non ego! neque alium quenquam ita opinaturum esse confido' (p. 120) hat für uns keinen sinn. Für einen bestimmte angabe wie die des Suidas über die epitome ist, die noch dazu durch das scholion zur Ilias bestätigt wird, bedarf es gar keines beweises um sie für wahr anzunehmen. Desto strenger aber fordern wir beweis dafür, daß die nicht minder bestimmten und wahrscheinlichen behauptungen des briefs an Eulogios entweder irrig oder erdichtet seien, wovon das eine zu beweisen nicht möglich ist, das andere sich nicht anders als unvernünftig und zwecklos denken läßt.'

[37]) Praesentis temporis participium *ζητούμενος* quamquam de hoc vocabulorum genere in usu erat, cuius exempla si quis requirit apud Rankium inveniet (l. c. p. 25 n. 14), tamen *ἐζητημένας* certe singularis est huius epistulae locutio (cf. Welck.

usi sunt, neque librorum in quibus usurpantur titulos, deinde diversas eorum significationes praeterierat, et obscuras reliquerat, cum oporteret diversae cuiusque significationis exemplum a mentione eorum qui usi sunt praebere, denique in capitibus proverbiorum substiterat expositione non addita' (l. c. p. LXXXVI). Quod idem alio loco (p. CXII) *πολυσήμους* intellegit de vocibus Homericis: ad Homerum vero Hesychius ita non retulit, ut contra ea ratione, qua illis verbis *δέον δὲ καὶ* et q. s. de plurium scriptorum auctoritatibus afferendis dixit, Homerus certe excludatur.

Huic igitur rerum utilium defectui ut mederetur Hesychius omni industria se elaborasse dicit (cf. *ἅτινα σύμπαντα καὶ τῆς παρ' ἡμῶν ἐπιμελείας δεηθέντα κατὰ δύναμιν τετύχηκε πάσης, ἐν δευτέρῳ κειμένης*[38]) *τῆς τῶν φιλεπιτιμητῶν μέμψεως*), deinde istis levioribus quidem auctariis commemoratis pluribus ostendit, quomodo potissimum officii sui munus expleverit. Pergens enim ad hanc operam ille '*οὐ γὰρ ὀκνήσω*' inquit '*μετὰ παρρησίας εἰπεῖν, ὅτι τῶν Ἀριστάρχου καὶ Ἀππίωνος καὶ Ἡλιοδώρου λέξεων εὐπορήσας, καὶ τὰ βιβλία προσθεὶς Διογενιανοῦ, ὃ πρῶτον καὶ μέγιστον ὑπάρχει πλεονέκτημα δ' αὐτὸς ἰδίᾳ χειρὶ γράφων ἐγὼ μετὰ πάσης ὀρθότητος καὶ ἀκριβεστάτης γραφῆς, κατὰ τὸν γραμματικὸν Ἡρωδιανόν, λέξιν μὲν οὐδεμίαν παρέλιπον κειμένην ἐν αὐτοῖς, ἀλλὰ καὶ πλείστας οὐχ εὑρὼν προςτέθεικα, ἐκείνην δὲ γραφὴν ἠξίωσα, ἧς εὕρισκον καὶ τὴν διάνοιαν τέλος περιέχουσαν καὶ τὴν φράσιν μετὰ τοῦ δοκίμου σαφῆ.*' Hunc locum nec Rankius nec M. Schmidtius recte intellexit.

Patet igitur Hesychium in augendo Diogenianeo lexico praecipue Homerica providisse vocabula. Eis enim quae Diogenianus ab Apione et Apollonio collegerat, plurima ipse addidit *τῶν Ἀριστάρχου καὶ Ἀππίωνος καὶ Ἡλιοδώρου λέξεων εὐπορήσας*, unde factum est, ut nunc Homericae voces quintam fere omnium Hesychianarum partem efficiant. Ac primum quidem illud in controversiam venit, quo habitu et quo ordine hae *λέξεις* praeparatae Hesychio fuerint.

Aristarchi quas appellat Hesychius *λέξεις* pro certo M. Schmidtius affirmavit non glossario aliquo ab ipso comprehensas fuisse, sed cum eius continua extaret Homeri interpretatio et explicatio, postea commoditatis et subitarii usus causa has explicationes Aristarchi a grammatico aliquo Pamphili aetate inferiore ad glossarii formam redactas esse. Has igitur Aristarchi *λέξεις* omnes transscripsisse Hesychium in lexicon suum nimirum ea de causa, quia sine ullo molimento eis uti posset ad lexicon suum augendum, contra Apionis et Heliodori *λέξεις* cum e scholiorum corpore aliquo, quali fere Eustathius uteretur, colligendi ipsi impositus esset labor, passim carpsisse et delibasse tantum nonnullas. Hesychium enim ut istius aetatis grammaticum molestiorem laborem dictitavit M. Schmidtius vehementer sane recusaturum fuisse (v. l. c. p. CVIII).

Ex his, quae M. Schmidtius disputavit, illud quidem Aristarchum glossas non scripsisse certum est, in altero autem, quod ex Hesychii verbis traxit, ipse erravit. Hesychius enim cum initio epistulae de glossariis Apollonii et Apionis Homericis a Diogeniano compilatis dixisset, hoc

l. c. II p. 549). Nec tamen suo explicatu caret, quem praebent haec Welckeri verba: 'die gewöhnliche von *τὰ ζητούμενα*, das untersuchte, von grammatikern behandelte (ergo dubia vocabula), erhält durch diese form eine beziehung auf die lange und fast bis zum abschluße geführte folge solcher lexikalischer erörterungen' (l. c. II p. 545 sq).

[38]) Hanc formulam inusitatam esse observavit Welckerus (l. c. II p. 549).

certe loco nullum Apionis quidem glossarium significare voluit. Igitur quid quaeso impedit quominus in ea, quae est, orationis aequabilitate concludamus etiam reliquorum duorum Aristarchi et Heliodori nulla omnino glossaria fuisse? Pertenue fortasse hoc argumentum nonnullis videatur neque tamen ullum Homericum glossarium ab Hesychio adhibitum fuisse facile apparebit, siquidem hac in re epistulae omnino credi potest. De qua fide cur dubites cum nulla causa sit neque a quoquam praeter Valckenarium dubitatum sit, M. Schmidtii error, si quis est, is erit in vitio aliquo interpretationis. Atque illud si interim concedatur profecto ita se habere, sicut modo indicavi, iam *λέξεις*, quas Hesychius dicit, eas verborum explicationes esse existimandum erit, quas ipse ex subsidiis Aristarchi, Apionis, Heliodori collegerit.

Aristarchus vero 'non scripsit glossas, sed in continua poetae interpretatione accuratissime versatus est, in consuetis vocabulis, quorum et ad maiorem Homericorum locorum partem plerumque pertinet utilitas et explicatio certior, plus etiam, quam in rarioribus et antiquitate obscuratis operae ponens et ne quid praetermittatur verbum verbo reddens' (v. Lehrs. de Arist. stud. Hom. p. 54) ac nullum fere fuit vocabulum quin paraphrasi exprimeret Aristarchus (v. l. c. p. 157). Sed Hesychii earum glossarum, quae non sunt ex Apollonii lexico, duo genera discerni posse putavit M. Schmidtius (l. c. p. CVI). 'Sunt enim' inquit 'quae descriptae videntur ex aliquo scholiorum Homericorum corpore, nonnunquam sane exquisitioris etiam doctrinae specie fallentes, in universum tamen minoris pretii et plerumque loci respecti verbosiore quadam explicatione contentae. Has numero longe superat alterum glossarum genus, quae dubitari nequit quin non tam excerptae quam ad unam omnes transscriptae sint ex aliqua *λέξεων* Homericarum synagoge ad literarum ordinem disposita indicique vocabulorum Homericorum studio Wolfgangi Seberi Sulani CIƆIƆCIV edito simillima. Continebat enim hic liber Aristarcheo grammatico sanequam dignissimus non solum eorum vocabulorum interpretationes, quae glossographis expositione indigere visa erant, sed quoad fieri posset explicationes vocum apud Homerum extantium omnium, easque tanta cum diligentia collectas, ut unius vocabuli iusta interpretatio tot demum absolvi posse glossematis videretur, quot sunt significationes diversae, quibus in singulis locis usurpatum reperitur.' Cuius generis explicationes quoniam saepius eaedem sunt atque in paraphrasi Iliadis a Bekkero edita (cf. exempla l. c. p. CVI sq CXII sq), eam paraphrasin ab eadem grammaticorum familia eisdemque cum Hesychio fontibus profectam esse M. Schmidtius (l. c. p. CXIV) suspicatus est. Has vero explicationes late diffusas et dispersas per totum Aristarchi opus undique colligere tantae mehercule fuit assiduitatis, quanta Hesychium fuisse plane incredibile visum est M. Schmidtio, aliter enim, 'nisi hae Aristarchi *λέξεις* dudum ante Hesychium in vocabularii formam mutatae fuissent, quo hic sine mora uti posset, eum profecto in se duram istam provinciam suscepturum non fuisse, ut tot vocabulorum millia literarum seriei adstringeret' (v. l. c. p. CVIII). [39])

---

[39]) Ruhnkenius (v. praef. p. XVI sq) hic quoque propius veritatem accedens 'Hesychius' inquit 'ita loqui videtur, quasi Aristarchus et Heliodorus etiam lexica Homerica edidissent. Enimvero hic ne de Apionis quidem lexico sermo est, nedum de Aristarchi et Heliodori. Nam *λέξεις* horum grammaticorum sunt interpretationes verborum Homericorum quas ex commentariis in poetam decerptas Hesychius intulit in lexicon suum. Sed hic quaeritur, quae tandem illa sint, quae

His omnibus tantopere Hesychii ipsa haec verba '*αὐτὸς ἰδίᾳ χειρὶ γράφων*' repugnant, ut ea si eadem illa qua Rankius et M. Schmidtius ratione accipiamus, mirifice inania videantur; nam 'ipse quoniam' inquit Rankius 'sese sua manu scripsisse omnia gloriatur: quid impedit, quo minus eum nil nisi librarium fuisse opinemur?' (v. l. c. p. 141) nec melius hic vertit: hos autem [sc. Diogeniani libros] ipse egomet propria manu descripsi' (v. l. c. p. CIII). [40])

Verum haec Hesychii verba non ad Diogeniani librum pertinent, sed laborem significant, quem ipse non mediocrem in describendis et colligendis vocum Homericarum explicationibus ex illorum libris susceperit. Hoc vero officium etiam in minimis eum cum ea fide praestitisse, qua non amplior postulanda esset, omnibus persuasum erit quicunque M. Schmidtii disputationem de Hesychii apparatu Homerico legerint, in qua iure ille monet, 'omnes glossas ab Hesychio positas fuisse' (v. l. c. p. CXII adn.) et 'maxima nobis cautione opus esse, ne interpretationes aut supervacaneas habeamus aut ad locum eis non convenientem referamus' (v. l. c. p. CXIV). Sed nullum fuit glossarium Aristarcheum, quod extitisse M. Schmidtius opinatus est, illaque evanescet huius anonymi lexicographi persona, in quam culpa innumerabilium in Homericis vocibus mendorum collata est (v. l. c. p. CIX sq).

Aliis praeterea argumentis ex epistulae interpretatione petitis haec quae modo disputavimus de Hesychii Homericis subsidiis eiusque in his opibus comparandis industria confirmabuntur.

Ac voce *εὐπορήσας* non designatur raritas eorum librorum, id quod Rankius voluit, neque huic vocabulo subest ea quae similis est notio 'feliciter nactum esse', cum universus eius vocabuli usus omnino non cogat, ut ad raras res eius notio referatur. Quid? si Alexandriae fuit Hesychius, id quod cognomine eius patet et orationis quibusdam proprietatibus Alexandrinam dialectum redolentibus a M. Schmidtio confirmatum est (v. l. c. p. CLXXXIX), ibi num tam rari erant illi libri Alexandriae in sede ac domicilio omnibus literarum praesidiis abundanti? Contra sibi eorum librorum interpretationes promptas paratasque fuisse Hesychius hac voce *εὐπορήσας* significavit.

Deinceps de verbis *καὶ τὰ βιβλία προθεὶς Διογενιανοῦ* dicendum est. In his quod M. Schmidtius dedit *προσθεὶς* coniectura Musuri est, non lectio codicis, in quo *προθεὶς* extare testimonio Leopoldi de Ranke compertum habemus. Quamquam ignorari M. Schmidtius dixit, *προθεὶς* an cum Musuro *προςθεὶς* legendum esset (v. l. c. p. CIV), tamen nisi ista scriptura tradita esset, ut *προςθεὶς* in *προθεὶς* mutaremus etiam ipsa sententiae integritas cogeret. Qui enim *προςθεὶς* receperit, cum M. Schmidtio (v. l. c. p. CIII) interpretabitur, Hesychium ad Aristarchi,

---

Hesychius dicat se ex horum grammaticorum libris in opus suum derivasse? respondeo glossas esse Homericas, non minimam partem lexici Hesychiani. Qua in re ita versatus videtur Hesychius, ut quod Apollonium in lexico suo fecisse videmus, singulis Homeri vocibus diversorum grammaticorum maxime Aristarchi, Apionis et Heliodori interpretationes subiceret easque inter se si discreparent nomine auctorum distingueret.' Directa haec sunt contra Valckenarii immoderatam libidinem (v. opusc. II p. 152. 156. 159. 160 sq). At nonnisi horum trium operibus se usum esse dicit Hesychius. Quod vero Hesychium interpretationum auctores distinxisse Rankius dicit, id refutant ea epistulae verba, de quibus infra dicetur. In commentis Rankii, de quibus refert Welckerus (l. c. II p. 590—592), non opus est diutius morari.

[40]) Etiam Welckerus (v. l. c. II p. 583) sic intellexit: 'Hesychius . ., der doch noch weniger selbst that, als ein epitomator, der nur abschrieb.' Scriptoris verba, cum hanc sententiam continere viderentur, exagitavit Valckenarius (v. opusc. II p. 161).

Apionis, Heliodori Homericorum vocabulorum explicationes, quas ipse comparaverat, Diogeniani librum adiecisse. Quid ergo? Adeone licuerit Hesychio, cum de ista non parva quidem quam ipse ad Diogenianum attulerat, vocabulorum Homericorum accessione commemoraret, protinus hanc societatis rationem commutare contrariamque fere facere, ut voces Homericas cum explicationibus suis ex Aristarchi, Apionis, Heliodori commentariis decerptas Diogenianoque additas potiorem sui lexici gravioremque partem vocaret, fundamentum vero Diogeniani, quod ex computatione Io. Pearsonis quadruplo fere Homericas Hesychii superavit, inferiore corollarii loco haberet? Hoc nec potuit dicere Hesychius neque etiam voluit. Voluntas enim eius et studium probum sincerumque in Diogenianum per totam est perspicuum epistulam.

Quodsi iam illud dicere voluisse Hesychius iudicandus est, quod rei condicioni consentaneum esset, facere non potuit quin Homericorum illorum libros in Diogeniani supplementum se pro consilio suo adhibuisse narraret. Igitur se proposuisse sibi Hesychius dicit istud Diogeniani lexicon augendum et '*λέξιν μὲν οὐδεμίαν*' inquit '*παρέλιπον κειμένην ἐν αὐτοῖς* (sc. *τοῖς βιβλίοις*), *ἀλλὰ καὶ πλείστας οὐχ εὑρὼν προστέθεικα.*' [41])

Adiungam de sententia intermedia hac '*ὅ πρῶτον καὶ μέγιστον ὑπάρχει πλεονέκτημα*', quae quo referenda esset non recte quisquam intellexit. Constanter enim quae hic virtus praedicatur eam ad antegressam referendam esse notionem viri docti censuerunt, ut aut illud, quod adiecit Diogeniani librum (legebant enim vulgo *προσθείς*), aut ipsum opus Diogeniani (*τὰ βιβλία Διογενιανοῦ*) primi et maximi in suo lexico emolumenti loco habendum esse scriptor dicere vellet, perinde ac si Hesychius his nominatim additis ea quae ante dixerat, corrigere voluisset, sicut Rankius opinatus est (v. l. c. p. 139), ac Diogeniano laudem suam tribuere, quod se istum pro meritis eius non satis commode insignivisse sentiret. [42]) At Hesychium non reperiri in hac invidentia, ut quantum laudis Diogeniano detractum haberet, tantum sibi adderet, huic rei testimonio esse totam epistulam iterum equidem affirmo. Diligentiam vero solam praedicat, id quod de se cuique maxime licet. Sed recognosce superiorem epistulae partem, in qua Hesychius, postquam de Diogeniani lexici origine, forma, consilio dixit, virtutibus non praetermissis vitia quaedam nominavit, quae ad usum quidem sibi invenisse videretur, quae ut corrigeret se omnia summa fecisse adiecit (cf. *ἅτινα σύμπαντα* et q. s.): iam perspicies Hesychium eo transire, ut singulas lexici Diogenianei accessiones supplementaque enumeret, quae tam accurate notata sunt, ut quae Hesychiani lexici pars ab ipso Diogeniano profecta sit et quae postea per Hesychium accesserint generatim quidem sciatur.

Adde huc propriam vocabuli *πλεονέκτημα* vim. Cum enim id natura sua commodum aliquod significet, quod si quis recepit, hoc amplior est altero aliquo, per hanc ipsam eius vocabuli vim

---

[41]) Apparet de Homericis tantum vocabulis haec dicta esse, non de aliis. Igitur haec iniuria exagitavit Valckenarius (l. c. II p. 161) neque recte intellexit Welckerus de vocabulis aliunde, non ex illis commentariis additis (l. c. II p. 591): 'Hesychius spricht erst von den glossen aus jenen, also homerischen, wie sich von selbst verstand, dann von zugesetzten wörtern, die er weder bei den drei homerischen grammatikern, noch bei Diogenian gefunden.' De M. Schmidtii errore supra iam dictum est.

[42]) 'Nicht irrthum und redeweise, sondern lug und betrug der thörichtsten art wäre das, wie auch Valckenaer herzhaft folgert' (Welcker. l. c. II p. 591).

comparativam nullo modo fieri potest, ut Diogeniani lexicon ipsum, cum potior sit Hesychiani pars, *πλεονέκτημα* aliquod vocetur, sed ad Hesychii additamenta id referre iam cogimur. Igitur cum relativam illam sententiam non ad ea, quae praegressa sunt, sed quae sequuntur, referendam esse iam viderimus, [43]) ad ordinem sententiarum apposite haec dicit Hesychius, se Diogeniani lexico proposito ex Homericis commentariis, in quo labore primum idemque maximum sui lexici emolumentum positum esset, ipsum sua manu vocabula eorumque explicationes scripsisse et inseruisse in Diogeniani librum, ita ut summa recti cura uteretur et scriptura accuratissima secundum Herodianum grammaticum, neque solum nullam Diogeniani vocem praetermisisse, sed etiam permultas non inventas addidisse. Nam primo certe loco ut id prae reliquis proferretur, rei gravitas postulavit.

Iam quod Rankius et M. Schmidtius aliique post *πλεονέκτημα* intercidisse aliquid statuerunt, aut *πάντα* aut *ταῦτα* aut *τέσσαρα ταῦτα,* hae suspiciones ex ea verborum *ἰδίᾳ χειρὶ γράφων* explicatione ortae sunt, quam supra refutavimus. Quidquid est in quo offendatur, hoc dicere mihi licebit sane nihil fere ad absolutionem sententiae requiri, si oratio post *πλεονέκτημα* commate distincta per *αὐτὸς* continuetur, neglecto illo *δ'*, quod nunc ordinem verborum moleste perturbat. Molestum certe est illud, tamen cum codice traditum sit, unde irrepserit invenire opus est. Quodsi iam illud animadversum erit Hesychium sperare videri fore, nt suum lexicon hac accessione Homerica reapse *πλεονέκτημα* aliquod habeat, probabile sane videbitur *δ'* in *δή* mutasse, quia hac particula hoc loco collocationis maxime insigni ipsa illa notio, quae gravissima est, vocabuli *πλεονέκτημα* commode effertur. Nam *δὴ* et *δὲ* saepe inter se commutata sunt.

Iam quid per *γραφή* significare voluerit Hesychius, quaerendum est, qua in re adiuvamur eo, quod ipse illam vocem explicuisse fere videtur additis *ἧς εὕρισκον ἐγώ* et q. s. Ac vocabulorum scripturam ad grammaticam aliquam normam directam eum non intellexisse certum est, quia cum antea se in his Herodianum secutum esse iam dixerit, nunc iterum ita de scriptura loqui non potest (cf. Rank. p. 26 n. 18). Neque de lectionis unius inter plures delectu, si quando optio data fuisset, dictum esse puto, quamquam similiter *γράφεται* saepe a veteribus usurpatum est, hac de causa, quia si talem operam Hesychius praestitisset, ea ad totius lexici Hesychiani naturam et virtutem constituendam minimum habitura erat momentum neque tanti opinor, ut istis temporibus, talis critica ars in Homeri carminibus factitata putabatur. Nempe hac in causa illud potius expectandum foret, Hesychium Aristarchi recensionem constanter sequi maluisse quam suo arbitratu lectiones deligere.

Neque inutile erit animadvertisse verbum *ἠξίωσα* regere *ἐκείνην* ita, ut huic pronomini attributum subiungatur *γραφήν.* Rankius enim (l. c.) cum in hoc accusativo offendisset, ut videtur, correxit *γραφῆς* et interpretatus est Hesychium illam (videlicet vocem) dignam quam reciperet existimasse, ‘cuius et notionem aliquid perfecti complectentem inveniret et dictionem probatam perspicuamque.’ At tali selectione vocabulorum lexico suo recipiendorum, quae admodum carptim

[43]) Sententiae relativae eis, de quibus praedicatur, antegressae exempla attulerunt Matthiaeus gr. gr. p. 806, Bernhardyus synt. p. 297 cf. Mätznerus ad Lyc. c. Leocr. § 51. § 56.

facta foret, non est usus.[44]) Sed quid Hesychius istis verbis significare voluit? Ac iam supra docuimus, eum permultas Homeri voces explicationesque non e glossariis quibusdam transscripsisse, sed e commentariis trium illorum virorum contulisse, quo in negotio nullum se dicit laborem defugisse. Homeri autem voces, quoniam trium illorum commentariorum scriptores pariter tractaverant, ab Aristarcho, Apione, Heliodoro saepe quidem eisdem explicationibus illustratas fuisse in aperto est, saepius tamen aut varie explanatas pro cuiusque interpretis sensu ac doctrina aut etiam diversissime, id quod maxime in obscuris incertique significatus vocabulis occurrisse facile est ad intelligendum. Idcirco illa epistulae verba eodem mihi videntur pertinere, ut Hesychius in hac varietate ac diversitate earum explicationum quasdam seligere cogeretur. Ego vero, inquit, hanc recipiebam scripturam, id est, hoc vocabulum interpretationis loco in lexicon meum scribens referebam, cuius vim inveniebam absolutam et in quo interpretatio inesset probabilis perspicuaque. Reliquas igitur istorum commentariorum interpretationes, quae huic rationi non essent accommodatae, sciens praetermisit.[45])

Nec vero haec solum addidit, quae Homeri potissimum lectioni inservirent, sed etiam alia, quae literarum studia sublevarent. Proverbiis enim plurimis argumenta reddidit (*ταῖς παροιμίαις ἀποδέδωκα τὰς ὑποθέσεις*[46])), quade re copiosius disseruit M. Schmidtius (p. CXVI—CXXIV); deinde '*καὶ τῶν πλειόνων λέξεων*' inquit '*καὶ σπανίως εἰρημένων οὐ μόνον αὐτῶν τῶν χρησαμένων τὰ ὀνόματα προσγέγραφα. ἀλλὰ καὶ τὰς ἐπιγραφὰς πάντων μὲν ἀπὸ τῶν ἀντιγράφων προστιθείς, οὐδαμοῦ δὲ πονεῖν παραιτησάμενος, ὡς ἂν μὴ καὶ αὐτὸς μέμψιν ὀφλήσαιμι δικαίως τινὰ καὶ οἷς ἐγκαλῶ Διογενιανῷ πεπτωκὼς φανείην.*' Subiecit igitur Hesychius 'plurimis quidem verbis atque iis rarioribus' sive maiori rariorum vocabulorum parti auctores librorumque in quibus quodque extabat vocabulum, inscriptiones.[47]) Diogenianus vero quod ad calcem rarius ad-

---

[44]) Non attinet de Welckeri sententia quidquam addere (v. l. c. II p. 546. 547), quam qui legerit omnino non intelleget, cur apposita sint verba *ἧς εὕρισκον* et q. s.

[45]) Haec quae meo iudicio usus adsecutus sum affirmantur Welckeri prope eisdem argumentis his (II p. 551. 552): 'ganz besonders müßen die homerischen studien noch im schwunge gewesen sein: denn Hesychius begnügte sich nicht mit den von Diogenianos aufgenommenen homerischen wörtersammlungen des Apion und des Apollonios, sondern er hatte sich einen guten vorrat von erklärungen (*λέξεις*) des Aristarchos, Apion und Heliodoros (desselben, worauf Apollonios in seinem lexikon sich bezieht), aus deren schriften nemlich, und darunter auch aus denen des Apion, dessen lexicon also nicht alle aus seinen eignen büchern, oder nicht übereinstimmend enthielt, verschafft, die er mit dem ganzen Diogenianos als der hauptsache zu seinem buche vereinigte. Daß dieß der sinn der worte *τῶν Ἀριστάρχου καὶ Ἀππίωνος καὶ Ἡλιοδώρου λέξεων εὐπορήσας* sei, hat Ruhnken (p. XVI sq) überzeugend auseinander gesetzt, auch Villoison in den prolegomenen znr Ilias p. XXVIII gezeigt. Da dennoch hr. Ranke (p. 138) *εὐπορήσας* auf seltenheit der bücher und glücklichen fund deutet, so ist daran zu erinnern, daß Hesychius, wie er sagt, zu den alten und seltnen wörtern des Diogenianos die namen der verfaßer und die titel der bücher aus allen abschriften beizufügen sich bemühte und also von der ganzen alten litteratur umgeben war. Die wichtigkeit der eignen homerischen sammlungen des Hesychius hebt sich noch mehr durch die bescheidene stellung, welche dagegen die verschiedenen andern zusätze zu den artikeln des Diogenianos in seiner vorrede einnehmen.'

[46]) '*ὑποθέσεις*, inquit Welckerus (l. c. II p. 545), den inhalt, die beziehung (von sprichwörtern vermuthlich der technische ausdruck).'

[47]) Non recte haec interpretatus est M. Schmidtius de duobus vocabulorum generibus (l. c. p. CIV): 'et plurimis quidem vocibus quaeque rarius occurrunt vel adhibitae sunt.' Hoc enim epistulae loco cum de Homericis copiis, de proverbiorum argumentis ab ipso adiectis, de auctoribus librisque excitatis ab Hesychio indicatum sit, eis prioris epistulae verbis, quae ad eosdem Diogenianei lexici defectus pertinent, huc referendis iam horum verborum interpretatio completur et confirmatur. *Λέξεις* enim, quae istic *ἐζητημέναι* vocantur, sunt hic *σπανίως εἰρημέναι*, item hic recurrunt *αἱ παροιμίαι*, *πολυσήμους* vero et *ἀσαφεῖς λέξεις* non esse neglectas certum est hac re, quod cui officio Diogenianus defuisset, id se ipsum praestitisse profitetur. Sed

hibitarum sive glossematicarum vocum ut antea Hesychius narravit, testimonia librorum auctorumque omiserit — solitis enim simplicibusque vocabulis addere omnino non ita opus fuit — eius rei causae in indole consilioque totius illius operis sitae sunt.[48] Certe Pamphilea fragmenta ea, quae cum Hesychianis interpretationibus collata M. Schmidtius commode collocavit in conspectu, Diogenianum vocabulorum explicationes per compendium praecipue testimoniis recisis in brevissimum contraxisse ostendere possunt.

Πάντων sive adverbii est loco, ut Rankius voluit (l. c. p. 27 n. 21), sive genetivi, utrobique referendum est ad *οὐ μόνον αὐτῶν τῶν χρησαμένων τὰ ὀνόματα προσγέγραφα, ἀλλὰ καὶ τὰς ἐπιγραφάς.* Quodsi iam vere fidem sibi haberi voluit Hesychius, nullo modo facere potuit, quin ipse antigraphas conferret ad subiungendum suum cuique vocabulo librum auctoremque. Quo in labore sublevatus est et sustentatus omnino hoc, quod separata illa glossaria, e quibus Diogenianus hauserat, et noverat et ad manum parata habebat. Hoc sane se vere fecisse affirmat neque nos temere istam fidem in dubium vocare debemus. Alterum aliquod subsidium, si opus erat, Pamphili copiae glossarum ac nominum praebebant. Iure igitur suo hanc diligentiam se adhibuisse maximam operosamque profitetur, *οὐδαμοῦ δὲ πονεῖν παραιτησάμενος, ὡς ἂν μὴ καὶ αὐτὸς μέμψιν ὀφλήσαιμι δικαίως τινὰ καὶ οἷς ἐγκαλῶ Διογενιανῷ π ε π τ ω κ ὼ ς φανείην.* Dativus *οἷς* cum per attractionem ad verbum *πεπτωκὼς* referendus sit, hoc tamen verbum eum casum regere nequeat, corrigendum puto cum probabilitate *ἐ μ π ε π τ ω κ ώ ς*, nam praepositio *ἐμ* facile similitudine aut praecedentis literae *ω* aut sequentium *πε* librarium fallere potuit.

Tria adhuc restant vitia scripturae tollenda, quae quamquam non multum valent ad hanc quaestionem, tamen, ne officio suscepto deesse videar, emendare conabor. Unum est in his verbis: '*καὶ πληρώσας τὴν πραγματείαν, ὅσον εἰς ἀνθρωπίνην ἐλήλυθε κρίσιν τ έ λ ο ς γεγενημένην, εἰ μή πού τις ἢ σαφὴς οὖσα λέξις, ἢ οὐκ ἀναγκαία παραλέλειπται*' in quibus si pro *τέλος* corrigitur *τετελεσιουργημένην* i. e. consummatam, absolutam aut *τελείαν*, sententiae magis integritati quam verisimilitudini scripturae consultum est. Corrigendum puto *ἐ ν τ ε λ ῆ*, quia syllaba finalis vocis *κρίσιν* ut antea *ἐμ*, sic hic praepositionem *ἐν* sequenti verbo videtur dempsisse. Alterum vitium

---

